NATVRÆ VNIVERSITAS

SIVE

TOTA PHILOSOPHIA NATVRALIS PERIPATETICA DECEM PRÆDICAMENTIS CONCLVSA,

ET AB

ADMOD: REV: ILLVST: AC GENER: D.D.

WOLFGANGO SIGISMVNDO, L. BARONE DE LEVBELFING IN RHAIN ET GRAFENTRAVPPACH &c. CATHEDRALIS ECCLESIÆ RATISBONENSIS CANONICO, LL. & Philoſophiæ Studioſo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆSIDE

NICOLAO VVYSING

SOCIETATIS IESV PHILOSOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO

IN CATHOLICA ELECTORALI VNIVERSITATE INGOLSTADIENSI

Publicæ Diſputationi propoſita.

AD DIEM   SEPTEMBRIS, ANNO M. DC. XXXI.

JNGOLSTADII, Typis GREGORII HÆNLINI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBERTO IV.
REVERENDISSIMO RATISBONENSIVM EPISCOPO, ILLVSTRISSIMO SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,
Domino ſuo Clementiſſimo.

REm magnam tibi narro *Princeps; qui rem minimam dedicatum veneram. Proauorum noſtrorum memoriâ, Ioannes Sebaſtianus Canus, gente Cantaber; è portu Hiſpalenſi nauim, in pelagus Occiduum deduxit. Jndè Braſiliæ, Americæq; legens littora; in Orientis inuectus maria; Iaponem, Indiámq; Gangeticam omnem prætergreſſus; vaſtiſſimis Perſiæ, Africæq; circumnauigatis amfractibus; vniuerſum terrarum Orbem ſic circuli pæne curuaturâ emenſus eſt; vt Hiſpalim ipſe, vnde ſoluerat, priùs appelleret, quàm triennium finiretur. Jnde Naui, inſigne Victoriæ nomen, perpetuum tam raræ nauigationis monumentum, impoſitum. Neque id immeritò. neſcio enim, an non ante eam ætatem primus hic fecerit, quod in Cælo Sol, in curriculo ſuo Cælum ſolet; vt, quantumcunq; poſſet, tranſcurreret; & in ſuum nihilominus principium reuolueretur. Finge, quæſo, hic,* Princeps Illuſtriſſime, *quod multi; Pelagus eſſe Philoſophiam: puta, Hiſpalim eſſe Ratisbonam tuam; da, Nauis inſtar habere, rerum philoſophicarum ſtudium; Concede deniq;, quod neceſſariò debes; Fauonios, ſecundóſq; ventos, Fauorem eſſe tuum. Ab*

hac ego Hiſpali tuâ, Portu Ratiſ-Bonæ, non ante integrum orſus triennium; ſtudiorum meorum vtcunq; tabulatam, inſtructámq; nauim, in Philoſophicum ſeducere Oceanum auſus: propitiſs Fauorum Tuorum vſus flabris, hodie eò, vnde ſolui, hoc eſt, ad Hiſpalim, ad Ratisbonenſem Tuam Cathedram; ad Te *ipſum denique, Portum ſecundiſſimum, non toto exacto triennio, redeo; ſi non Canus (neque enim anni patiuntur) at tuus certè Canonicus; Cantaber, an Cantabricus, nihil intereſt. Naturæ totius, adeóq; mundi emenſus Circulum; nomine Victoriæ triumphâſſe Nauim meam credidero; ſi Poſitiones has meas, tanquam nauigationis emeritæ merces atque lucra, ſub tuis patiâre Tholis, tanquam ſecuriſſimis Naualibus, requieſcere. Ità demiſſiſſimus dedico: annóſq; æternos* Principi *vouens* Meo, *non illud Corui* χαῖρε; *ſed Auiculæ dulcioris odarium accino;* BEATVS *eſto!* *Ingolſtadij IV. Septembr. Anno Chriſti* CIↃ. IↃC. XXXI.

Reuerendiſſimæ, & Illuſtriſſimæ
Celſitudini Tuæ

ad omnia deuotiſſimus

WOLFGANGVS SIGISMVNDVS
L. Baro de Leubelfing &c. Cathed. Eccleſiæ Ratiſb. Canonicus.

Digitized by Google

CLARA EST, ET QVAE NVNQVAM MARCESCIT SAPIENTIA, ET FACILE VIDETVR AB HIS QVI DILIGVNT EAM; ET INVENITVR AB HIS, qui quærunt illam. Sapientiæ Cap VI.

DIVA, quæ Æterno Patre nata Mundi
Vltimos fines Regis vniuerſi,
Suauiter *mulcens Salomone teſte,*
Fortiter *vrgens.*

Vnico VERBO ſtetit Orbis iſte,
Jnq; natiuum ſubito colorem
Tranſijt motu; Nihilíq; *noctem &*
Clauſtra reliquit.

Cùm iubar Phœbi exorientis infans
Cœpit in paruis rutilare cunis;
Et faces riſit modicas, rudiq;
Vagijt aſtro.

Cùm Soror Phœbi (Soror vna) menſem
Plena vix vnum ſuper axe fulſit,
Et bonum *Fratri orta* Diem *precata eſt*
Lucis egena

DIVA iam metas, mediúmq; *& omnes*
Nouerat fines *animoſa rerum:*
Ante Saturnum ſpatiata ſummo
Cardine cœli.

Nondum erat forma *hæc fabricata; nondum*
Jſta naturæ facies; *nec vllis*
Legibus, certóq; Elementa *lapſu*
Miſta coibant.

Antequam Tellus *medio* pependit

Ponderis centro grauis; & procellæ
Continens *imum ſuper enatarent*
Æquore *fuſo*
Antequam lucens agitaret Aër
Mobiles pennas volucrúmq; gentem;
Et coronatos raperet citata
Luna Pyropos.
DIVA regnabas, & AB ÆVITERNO
NVNC ERAS VERBVM PATRIS ÆVITERNI:
Nec tuos vnquam potuit notare
Lucifer *ortus.*
Ergo iam Solem tenerum fouebat
Lacte ſomnóq;, & violis marinis
Nympha Neptuni; radióſq; criſpos
Pectine ſtrinxit.
Cynthia accepit diadema fuluum
Pænè palmaris; timidámq; curſu
Per vias vexit minus vſitatas
Ludicra biga.
Quin & in noſtris vaga turba campis
Germinum riſit; varióſq; Chloris
Artifex luſit calathos apricis
Pendula ſaxis.
Tu PATRIS VERBVM SAPIENS in Orbe
Semper adſtabas, & vbiq; & vnde-
Quaq; conceptas Species *mouebas*
Flabilis Auræ.
Amoue vultum; nihil emicabit.
Amoue dextram; nihil erigetur:
Cuncta marceſcent, & erunt, quod ante,
Ignobilis vmbra.
Tu Dies *omnes agiléſq;* Menſes
Voce feciſti: Solidósque Cœlos

Voce

Digitized by Google

Voce firmaſti; liquidóſque Cœlos
Voce liquaſti.
Nempe Tu ſeptem varias Planetas:
Tu Palatinos agitas Cometas;
Et comas caudámq; aciémq; diro
Sanguine pingis.
Inde magnorum tremit aula Regum
Funerum notos metuens tumultus;
Téq; Regnantem timet, & vaporem
Vindicis iræ.
Tu Mari *littus refluóq; Ponto*
Stagna fixiſti. nec abibis vltra
Stagna, *dixiſti. facit hoc, nec vltra*
Stagna mouet vim.
Diva *quis non te veneretur oris*
Baſio ſupplex? & adoret Oſtrum
Regium? quo te tua Virgo Mater
Induit olim.
Huc ades præſens neq; dedicatos
Reſpue affatus. etenim beatum
Tempus & crines madidos amomo &
Thure colemus.
Nos Tui Matrísque Tuæ Clientes
Poſcimus, quid quid Manus illa fortis
Condidit ſcire; & Theſibus notatum in
Acta referre.
Maximè qui nunc Sapiente voluit
Mente tot cauſas, animóq; Solers
Aemulo argutè ſtudet eruditas
Soluere lites.
Diſputat; quid ſit fueritq; Mundus;
Quantus & Qualis: *ſtatuítq; certos*

Digitized by Google

SVMMA THESIVM ET ORDO.

IN Scholis hodie vſus eſt ferè ſecundùm Ariſtotelis libros, in pertractanda Philoſophia progredi ab Logicis per Phyſica advſq; Metaphyſica. Nos, Auctorum non vulgarium exemplo, iſtiuſmodi morem intra Scholaſticos cancellos concluſum rati, Diſputationẽ noſtram Prædicamentorum potiſſimùm claſſibus, & quaſi quibuſdam forulis diſtinctam, & quoad partes ſuas per iſthæc loculamenta ſegregatam proponimus. Ea quæ prædicamentis vel minùs ad noſtrum commodum, vel omnino non inſeri poterant, prioribus ſectionibus abſoluimus; Sic materiâ omni per Sectiones ac Paragraphos diſtributâ, vt appareat vnde Scientiæ ad diſſertationes ſtruendas, ſiue ab Inſtrumentis, ſiue à Materia ſubſidium petere debeant.

Digitized by Google

SECTIO I.

INSTRVMENTA SCIENTIARVM.

§. I.

LOGICA SECVNDVM SE.

Thesis I.

HAbitus Logicus inſtrumentarij denominationem verè & propriè ſuſtinere poteſt, ſiue habitus Inſtrumentarius primò dicatur is, qui alijs habitibus materiam ſubminiſtrat, vt Pectinaria Textoriæ miniſtrat lanam. ex 1. polit. 5. ſiue ſecundò is, qui alijs miniſtrat inſtrumēta, vt Fabrilis Sculptoriæ: ſiue tertiò is, qui per ſeipſum minùs principaliter concurrit ad finem artis principalis. ex 2. phyſ. text. 25.

II. In primo ſenſu Lògica dicitur Habitus Inſtrumentarius, in quantum ipſa & in ſe, & in ſuo obiecto ita conſtituta eſt, vti tùm ab Animaſtica, tùm à Metaphyſica, tanquam propria vtriuſque materia, conſiderari poſſit.

III. Secundo ſenſu denominationem illam Logica habet, in quantum ſuo modo, reliquis ſcientijs eiuſmodi ſyllogiſmos, definitiones, diuiſionéſque conficit, cuiuſmodi ad finem illarum ſcientiarum apta ſunt, id quod à Logica fit per iudicia practica, illiuſmodi diſſertationes directiuè & per modum inſtrumenti regulantia.

IV. Tertio ſenſu Logica Habitûs Inſtrumentarij denominationem meretur, in quantum illa à natura ſua reliquis ſcientijs

Digitized by Google

ſciẽtijs ita ſuccurrit, vt in finem illarum operetur, id quod ex theſi VIII. & XI. magis apparebit. Hoc vltimo ſenſu magis propriè dicitur Logica Inſtrumentaria, vt patet ex proportione ad Inſtrumentum phyſicum, theſi LXXXVII. explicandum.

V. Itaque Logicæ (Analyticæ) genus proximum nec eſt Ars, nec Scientia ſtrictè dicta, ſed vtrumque latè; multò minùs eſt Sapientia, Prudentia, aut Intellectus ſeu Habitus Principiorum; ſed Logicæ genus conficit ratio Habitûs Inſtrumentarij, quæ vt Logicam à ratione veræ Virtutis Intellectualis non excludit, ita eandem purè Practicam efficit, vt adeò Logica nullas veri nominis ſpeculationes habeat. Dixi Logicæ Analyticæ has rationes attribuendas eſſe: Nam quid de Topica & Sophiſtica putandum ſit, iam ordior exponere.

VI. Solemnis diuiſio Logicæ eſt in Analyticam, Topicam, & Sophiſticam. Prima verſatur circá Aſſenſus Neceſſarios; altera circa Probabiles: poſtrema circa Falſos. Poteſt autem Logica tripliciter verſari circa materiam probabilem vel falſam. Primò, vt materiæ probabili vel falſæ certam formam, ſeu neceſſariò concludentem imprimat. Secundò, vt doceat probabilia vel falſa adhibere. Tertiò, vt actu vtatur argumentis probabilibus vel falſis ad inferendam qualem qualem concluſionem.

VII. Topica igitur atque Sophiſtica in prima & ſecunda acceptione adhuc vera Virtus eſt; in tertia verò acceptione Topica quidem Facultas, Sophiſtica verò omnino vitium dicendum eſt: quia Illa quidem eſt Habitus diſputans probabiliter in vtramque partem, Iſta verò inclinat ad aſſenſus falſos. In ijſdem acceptionibus vtraque Logica etiam Scientiæ Artiſque latè ſumptæ rationem habet, non autem etiam

ratio-

Digitized by Google

rationem Habitûs Inſtrumentarij, neque rationem Logicæ Docentis, ſed ſolummodò Vtentis.

VIII. Licèt enim vniuerſim Logica Docens & Vtens, imò & Operans, realiter non diſtinguantur, ratione tamen diuerſorum Officiorum, etiam diuerſimodè denominari Habitus ille re vnicus debet; nempe Docens in quantum tradit omnem modum diſſerendi, ſeu Rectitudinem Logicam in quaſuis Operationes mentis inducendi. Vtens, quatenus ipſe Habitus Logicus vtitur alijs Habitibus, præcepta ſua exercendo in eorum materia ſolummodò probabili atque Sophiſtica.

IX. Declarato Genere Logicæ ad eius Differentiam & Obiectum tranſgredimur. Obiectum igitur Attributionis Logicæ Materiale ſunt Operationes Mentis vt Dirigibiles, non verò vt Directiuæ, ſiue Iſtæ pro Ideis, ſiue pro alijs dictaminibus Logicis ſumantur, ſiue etiam Illæ ſumantur prout primam aut ſecundam, ſiue prout tertiam Mentis Operationem conſtituunt; itemque ſiue Certæ illæ, ſiue Probabiles, ſiue etiam aliquâ ratione Sophiſticæ ſint: hæ enim licèt Irrectitudinem ſcientificam habeant, poſſunt tamen retinere Rectitudinem Artificialem.

X. Formale Obiectum Logicæ eſt Rectitudo Artificialis, ſeu Forma Logica, quæ Operationibus inducitur; Ratio verò Propter Quam, eſt definitio Rectæ Diſſertationis. Habet enim Logica hoc omnibus Habitibus Practicis commune, vt obiectum ſuum Formale non nudè conſideret, ſed illud etiam ſuo modo efficiat, quod quia Formæ Logicæ, non verò Operationum dirigibilitati conuenit, idcirco illa, non iſta, obiectum Formale Logicæ eſt. Poteſt tamen iſta, nempe Dirigibilitas, dici Ratio formalis Obiecti materialis, determinans hoc Obiectum ad eſſe Obiecti Materialis.

XI. Talis

Digitized by Google

XI. Talis eſt Logica, ſi Differentiam ſpectes, vnde præſuppoſitis ijs, quæ de eiuſdem Genere diximus, poteſt Habitus Logicus ita commodè definiri: Eſt Habitus verus, Inſtrumentarius, ordinatus ad conſtruendas rectas Diſſertationes, quibus ſcientiæ acquirantur. Ex qua quidem definitione finis Logicæ, ac eiuſdem ad reliquas ſcientias neceſſitas eruitur. Proximus enim Finis Logicæ (intrinſecus, ſiue qui ab ipſo Habitu attingitur) ſunt Notitiæ Practicæ; Remotus eſt ipſa conſtructio rectæ Diſſertationis; Vltimus verò eſt ipſa recta Diſſertatio. Extrinſecus Finis Logicæ eſt aſſecutio Veritatis, ſeu Rectitudinis Scientificæ.

XII. Neceſſitas Logicæ Habitualis ad reliquas ſcientias totales non eſt Phyſica, ſed tantùm Moralis; ad partiales verò ne moralis quidem. Tanta nimirum eſt iſta huius Inſtrumentarij Habitûs Neceſſitas ad ſcientias Reales, quãta ipſius Methodi; nihilo enim plus diſtingui cenſemus Habitualem Methodum ab Habitu Logico, quàm Ratione Ratiocinatâ, id quod ex Methodi definitione & conſtitutione planum eſt. Definitur enim ſic in genere: Intellectuale Inſtrumentum, faciens à cognitione vnius ad cognitionem alterius ordinatè procedere in ordine ad docendum.

XIII. Conſtitutio ſeu naturalis quaſi complexio Methodi in ſequentibus conſiſtit. Aliquando Methodus docet ordinatè procedere ab vno ad alterum quoad rem ipſam, ſeu materiam, & dicitur Ordo Doctrinæ, quo fit vt in rerum tractatione priùs de hoc, quàm de illo ad faciliorem captum diſputemus; aliquando verò docet ordinatè procedere à cognitione vnius ad cognitionem alterius, quaſi per cauſalitatem, & vocatur Via Doctrinæ, ſeu Methodus ſtrictè, applicando nimirum nomen Generis alicui ex Speciebus.

XIV. Vtraque iſta ſpecifica Methodus progreditur ab

Digitized by Google

ijs, quæ nobis Notiora ſunt, & non præciſè ab ijs, quæ ſunt notiora ſecundùm Naturam ; vtraque in Compoſitiuam & Reſolutiuam diuiditur; vtraque reſpicit tã Illationem, quàm Definitionem & Diuiſionem ; vtraque vſurpatur à ſcientijs tam Speculatiuis quàm Practicis, ídq; ſiue per Compoſitionem, ſiue per reſolutionem; eo tamen diſcrimine, quòd Scientiæ ſpeculatiuæ quoad Intentionem vtantur Compoſitione, quoad Executionem verò Reſolutione ; Practicæ verò contrà Reſolutionem adhibeant quoad intentionem, compoſitionem verò quoad Executionem.

§. 2:

LOGICÆ MATERIA IN SPECIE.

XV. Conſtituitur materia Logicæ ex tribus Operationibus Mentis ; ad primam ſpectant ea, quæ ab Ariſtotele tractantur in lib. Prædicament. id eſt tam Intra, quàm Ante, & Poſt prædicamenta. Ad ſecundam reuocantur ea, de quibus agitur in lib. Perihermen. Ad tertiam ea, quæ in lib. Prior. & Poſter. Obueniunt enim Logicæ dirigenda, quæcunque animi concepta, ideſt, non tantùm ſecundi & tertij generis, ſed (vt iam diximus) etiam primi, ſaltem vt rationem aliquam Enuntiationi oppoſitam continent.

XVI. Prima Mentis Operatio, quantùm huc ſpectat, tripliciter conſiderari poteſt. 1. in ordine ad Intellectum; 2. in ordine ad ſuum ſignificatum. 3. in ordine ad alios conceptus ; vnde totidem etiam quæſtiones habentur. Prima eſt de nominibus (præcipuè mentalibus, licèt ea poſſit etiam vocalibus & ſcriptis applicari, imò ſuo modo ipſis etiam rebus, quæ à Logica, ſaltem prout nominibus ſubſunt, conſiderantur) primæ & ſecundæ Intentionis. Secunda eſt de

Æqui-

Digitized by Google

Æquiuocis, Vniuocis, & Denominatiuis. Tertia eſt de Oppoſitis.

XVII. Intentio alia eſt Formalis, alia Obiectiua; Illa conceptui, Iſta obiecto conuenit. Prima Intentio Formalis eſt actus ille Intellectus, qui ita fertur in obiectum ſuum, vt non præſupponat alium actum, qui circa idem verſatus ſit, & eius obiectum dicitur prima Intentio Obiectiua; ſecunda Intentio formalis eſt Conceptus quidam Reflexus, qui fertur in primam Intentionem tam formalē, quàm obiectiuam, & ſimul in aliquod Ens Rationis interueniens, quæ ipſa tria obiecta conſtituunt ſecundam Intentionem Obiectiuam.

XVIII. Ad ſecundam Intentionem formalem non quidem ſufficit Ens Rationis Fundamentale, ſed neceſſarium eſt Actuale, opus tamen etiam non eſt, vt ab iſta ipſa ſecunda Intentione confectum ſit; ſufficit ſi à quauis alia confectum, actualiter à ſecunda cognoſcatur. Et ex dictis iam conſequens eſt, non omnem conceptum reflexum eſſe ſecundam Intentionem Formalem, licèt omnis ſecunda Intentio conceptus ſit reflexus.

XIX. Sicut in Relatiuis vniuerſim vtraque extrema ad ſe inuicem comparari poſſunt, ita peculiariter etiam nomina ad ſuum ſignificatum, & viciſſim hoc ad illa comparari poteſt, vnúmque per alterum intelligi. Quadrupliciter ergo ſe habere poſſunt res in ordine ad voces: vel enim 1. res conueniunt in Nomine & Eſſentia, & dicuntur Vniuoca; vel 2. differunt quoad Nomen & quoad Eſſentiam, & ſunt Diuerſiuoca; vel 3. conueniunt in nomine tantùm, & diſcrepant in Eſſentia, & habentur Æquiuoca; vel 4. conueniunt in Eſſentia tantùm, & differunt in nomine, & vocantur Multiuoca.

XX. Nomenclationes iſtæ commodiùs applicabantur

Digitized by Google

ipſis rebus, quàm nominibus, ob eas quæ ſecundo & quarto loco referuntur. Iam verò propiùs ad noſtrum propoſitum comparabimus potiùs voces ad ipſa ſignificata, & quidem eas, quæ communiter ſolent in diſputationem venire, vt ſunt eæ, quas theſi XVI. diximus. Itaq; Æquiuoca ex ſua definitione tres conditiones requirunt. 1. eſt, vt idem Nomen ſpecie & materialiter pluribus commune ſit. 2. vt ſignificata illius Nominis ſint diuerſæ eſſentiæ. 3. vt iſta eadem eſſentiæ diuerſitas illo communi nomine ſignificetur.

XXI. Diuiduntur Æquiuoca in Æquiuoca à Caſu & Æquiuoca à Conſilio. Prioris generis vocantur ſimpliciter Æquiuoca; Poſterioris verò habent ſe medio quodam modo inter Vniuoca, & Æquiuoca ſtrictè dicta; quorum nimirum ſignificatio licèt ſit quidem abſolutè diuerſa, eſt tamen aliquo modo eadem, propter aliquam inter obiecta habitudinem. Sola illa huc ſpectant, inter quæ eſt ſimilitudo ipſiſmet rebus verè, & non tantùm ex intentione hominum conueniens, & Analoga vocantur.

XXII. Analoga alia ſunt Attributionis, alia Proportionalitatis, alia Inæqualitatis. Primi generis Analoga ſunt quodammodò eadem ſecundùm habitudinem ad vnum communem terminum. Secundi generis ſubſtantiæ ratio eſt proportionaliter eadem. Iſta duo Analogorum genera ſunt omninò diuerſæ rationis. Dantur etiam Analoga mixta, id eſt talia, quæ ſint partim Attributionis, partim Proportionalitatis.

XXIII. Analoga Inæqualitatis non diſtinguuntur ab Vniuocis, & ſunt Nomina, quæ res eiuſdem eſſentiæ ſignificant. Fundamentum & Radix Vniuocationis eſt Vnitas formalis in natura. Denominatiua ex ſua ratione tres conditiones requirunt. 1. vt differant ſolo caſu: 2. vt habeant ali-

quam

Digitized by Google

quam rationem communẽ quoad ſignificatum, ſimul etiam aliquam diuerſitatem. 3. vt ſint connotatiua.

XXIV. Ex comparatione Nominum ad inuicem oriuntur Oppoſita Incomplexa. Diſtinguuntur in Diſparata & Repugnantia. Hæc diuiſione adæquatâ, non tamen immediatâ, diuiduntur in quatuor adhuc ſpecies; nempe in Contrariè, Relatiuè, Priuatiuè, & Contradictoriè Oppoſita. Maxima Oppoſitio eſt inter Contradictoria; his proxima ſunt Priuatiuè, iſtis Contrariè Oppoſita; minimam Oppoſitionem habent Relatiua.

XXV. Ad ſecundam Mentis Operationem ſpectant etiam Signum, Voces, Nomina, & Verba; poſteriora quidem, quatenus Enunciationem conflant; primum verò, quatenus ad poſteriorum eſſentiam ſpectat. Signum generaliter nil aliud eſt, quàm quod potentiæ Cognoſcenti aliquid repræſentat. Tria requiruntur ad id, vt aliquid ſit ſignum. 1. vt diſtinguatur à ſuo ſignificato; nil enim poteſt ſeipſum ſignificare, licèt poſſit aliquid ſeipſum repræſentare. 2. vt cognoſcatur ſaltem ſeipſo. 3. vt habeat Relationem tam ad ſuum ſignificatum, quàm ad cognoſcentem.

XXVI. Voces reſpectu proferentis, itémque conceptuum mediorum, ſunt ſigna Naturalia; reſpectu Rerum verò & Conceptuum vltimatorum, ſunt ſigna ex Inſtituto. Immediatè ſignificant conceptum & rerum & vocum, & res ipſas, principaliùs tamen conceptum, quàm rem. Perfectionem ſuę ſignificationis in actu primo habent ab imponente, in actu verò ſecundo ab audiente.

XXVII. Nomen & Verbum aliud eſt Finitum, aliud Infinitum. Ad hoc duo requiruntur. 1. vt habeat præfixam particulam NON, vt poſſit tam de Entibus, quàm de non Entibus dici. Poteſt particula NON, vt ipſum etiam verbum

Digitized by Google

Adiectiuum accipi vel Neganter, vel Infinitanter: priori modo compoſitionem, poſteriori verò ſignificationem deſtruit. Verbum infinitum in Enunciatione poteſt ſemper retinere ſuam infinitatem. Verbum ſubſtantiuum Eſt in Enunciationibus tam Contingentibus quàm neceſſarijs, tam de tertio quàm de ſecundo Adiacente, ſemper habet rationem Verbi.

XXIIX. Enunciatio quando definitur, Oratio quæ verum aut falſum ſignificat, non definitur per prædicata eſſentialia, ſunt enim Veritas & Falſitas, ſub diſiunctione ſumpta, proprietates ſolùm Enunciationis. Varias denominationes habet, nempe Interpretationis, Præmiſſæ, Propoſitionis, Concluſionis, Quæſtionis,, Problematis, Sophiſmatis, Inſtantiæ, Axiomatis, prout nimirum vel ad Intellectum, vel ad Syllogiſmum, vel ad ſeipſam, vel ad diſputantem, &c. comparatur.

XXIX. Enuntiationes, quæ vocantur Inſolubiles, quæ ſignificatum à ſe diſtinctum non habent, nec veræ ſunt, nec falſæ, habent tamen ſimilitudinem quandam Enuntiationum falſarum, quatenus quoad apparentiam inuoluunt vtramque partem contradictionis. Ex duabus propoſitionibus de Futuro Contingenti altera eſt determinatè vera, altera determinatè falſa.

XXX. Tertia mentis Operatio præcipuè in ſyllogiſmo perficitur. Eius Principia Intrinſeca ſunt Materia & Forma. Materia alia Remota, vt ſunt tres termini; alia Proxima, vt ſunt tres propoſitiones: & hæ quidem aptæ ad concedendũ; nec enim datur ſyllogiſmus conſtans ex apertè falſis; ſicut nec datur ſyllogiſmus Illatiuus, qui non ſit ſimul Probatiuus. Medius terminus in ſecundâ & tertiâ figurâ eſt ille, qui in cõcluſione prædicatur; ac proinde in his figuris non dantur modi indirecti; vti nec in quartâ Galeni figurâ, quæ nulla eſt.

XXXI. For-

XXXI. Forma Syllogiſtica non diſtinguitur realiter à Conceptibus, ſed tantùm formaliter, nec eſt aliud, quàm Relatio Tranſcendentalis Conceptuum inter ſe, orta ex eo, quòd ſecundùm præcepta Logica ſint diſpoſiti. Iſtæ formæ ſunt eiuſdem ſpeciei reſpectu eiuſdem modi, licèt interueniat materiæ diuerſitas, & è contrà licèt habeatur eadem materia, formæ tamen reſpectu diuerſorum modorum ſunt etiam ipſæ diuerſæ ſpeciei.

XXXII. Concluſio eſt de eſſentia Syllogiſmi; ſequitur debiliorem partem, ſi præmiſſæ ſint inæqualis perfectionis. Contingens ex neceſſario inferri nunquam poteſt, ſæpe tamē vera ex hypotheſi impoſſibili, ſi nimirum per hanc non deſtruitur formaliter hypotheſis retenta.

XXXIII. Nobiliſſima Syllogiſmi ſpecies eſt Demonſtratio, ſeu Syllogiſmus faciens ſcire. Diuiditur diuiſione eſſentiali & vniuocâ in demonſtrationem Propter Quid, & Quia. Hæc ſubdiuiditur in eam, quæ eſt à Poſteriori, & eam quæ eſt à cauſa Remota. Nulla datur vera Demonſtratio Circularis, ſiue Circulus ponatur Perfectus ſeu Vniformis, ſiue Imperfectus ſeu Difformis.

XXXIV. Medium Demonſtrationis Incomplexum, poteſt ſic in genere eſſe cauſa vel intrinſeca reſpectu ſubiecti, vel extrinſeca, vel formalis, vel virtualis, vel in eſſendo, vel in cognoſcendo. Ad Demonſtrationem Potiſſimam, ſeu ad eam, in quâ demonſtratur prima paſſio de ſubiecto, aptum medium eſt Definitio, non quidem vt definitio, ſed vt cauſa, potéſtque ex omnibus quatuor cauſarum generibus fieri Demonſtratio. Medium Demonſtrationis Complexum, ſeu Præmiſſæ, debent eſſe ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, cauſíſque concluſionis.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.
DIVISIO ENTIS.

XXXV. Diuiditur Ens, vt ad nos facit, trifariam. In Ens reale & Rationis, in Increatum & Creatum, in Subſtantiam & Accidens. De ſingulis harum diuiſionum membris ordine rectè agitur, niſi quòd de Subſtantiâ peculiariter nobis in Sectione quartâ diſquiritur, Accidente hîc diſcuſſo.

§. I.
ENS REALE.

XXXVI. Communis Ratio Entis Realis in eo conſiſtit, quòd habeat eſſentiam aptam exiſtere, ſiue iam actu exiſtat, ſiue non. Vox Ens non incongruè dicitur ſumi quandoque nominaliter, & ſic ſignificare aliquid, quod abſtrahat, aliquando verò participialiter, & ſic denotare exiſtentiam; ita vt Ens primo modo idem ſit quod eſſens, ſecundo verò modo idem quod exiſtens.

XXXVII. Ens non habet Vnum conceptum nec Formalem, nec obiectiuum diſtinctum, ſed tantùm confuſum, ſiue iam comparetur ad Deum & Creaturas, ſiue ad Subſtantiam & Accidens, ſiue ad alia quæuis inferiora, adeóque ad omnia iſta veri nominis Analogiā habet. Analogiæ indicium vniuerſim non eſt Dependentia, ſed Tranſcendentia.

XXXIIX. Paſſiones Entis ſunt prædicata quædā Tranſcendentalia, quæ ipſam Entis Naturam noſtro modo intelligendi conſequuntur. Simplices Paſſiones Entis ſunt tres,

Digitized by Google

Vnum, Verum, Bonum. Non diſtinguuntur realiter ab Ente. Vnitas eo modo præcedit Veritatem, quo Veritas Bonitatem, nec eſt quid poſitiuum, ſed eſt tantùm Negatio Diuiſionis. Tres potiſſimùm Vnitates ſub iſta Tranſcendentali Vnitate continentur: Vnitas Vniuerſalis, Formalis, & Numerica.

XXXIX. Vnitas Vniuerſalis eſt Indiuiſio Naturæ in plures tales, & quidem non tantùm ſecundùm Quid, ſed ſimpliciter. Oritur ab Operatione Intellectûs, Naturam ipſam ab inferioribus ſeparantis per cognitionem Abſtractiuam. Conſtituit Formale Vniuerſale inadæquatè ſumptum; ab Vnitate Formali non niſi connotato diſtinguitur; vnà cum Aptitudine Negatiua Rationis ineſſendi in multis totam Vniuerſalis Eſſentiam abſoluit; & in actuali contractione ad inferiora, ſiue in actuali prædicatione perit.

XL. Vnitas Formalis nil aliud eſt, quàm Negatio diuiſionis ſecundùm prædicata eſſentialia tam Generica quàm Specifica, quâ plura indiuidua, numericè quidem adeoque ſimpliciter multa ſunt, ſecundùm quid tamen, hoc eſt formaliter & à parte rei, Vnum. Vnitas hæc formalis & Numerica ſunt Vnitates Reales, Vnitas verò Præciſionis eſt Vnitas Rationis.

XLI. Natura, quæ iſthuic Vnitati Formali ſubſtat, eſt Materiale Vniuerſalis, non verò aut Conceptus Mentis, aut Ideæ Platonicæ, aut ſingularia etiam ſimilitudinem quandam inter ſe habentia, ſed, inquam, Natura prædicto modo vna, quam aliqui rectè vocant Naturam in ſtatu Eſſentiæ. Jſta eadem Natura, ſic formaliter vna, eſt fundamentum diuerſæ Vniuerſalitatis, prout nimirum accedente abſtractione diuerſimodè apta eſt inferioribus ineſſe.

XLII. Nam primò poteſt ineſſe inferioribus per mo-

C dum

Digitized by Google

dum Totius eſſentialis, & eſt Species. Secundò per modum Partis eſſentialis Determinabilis, & eſt Genus. Tertiò per modum Partis eſſentialis Determinantis, & eſt Differentia. Quartò per modum alicuius Prædicati neceſſariò ab Eſſentia fluentis, & eſt Proprium. Quintò per modum alicuius contingentem cum eſſentiâ connexionem habentis, & eſt Accidens.

XLIII. Vnitas Numerica, ſeu Principium Indiuiduationis in rebus non eſt Materia, aut Forma, aut Quantitas, aut Materia per Quantitatem ſignata, ſed Principium Indiuiduationis fundamentaliter quidem eſt ipſa rei Entitas, formaliter verò eſt Negatio diuiſionis in plura numero talia. Principium Indiuiduationis formale à fundamentali realiter non diſtinguitur, ſicut neque Gradus Metaphyſici plùs quàm formaliter inter ſe diſtinguuntur. Eſt enim Diſtinctio Vnitati oppoſita maximè quadruplex: Realis ſtrictè, Modalis, Formalis ſeu rationis rationatæ, & rationis abſolutè, ſeu rationis ratiocinantis.

XLIV. Modalis diſtinctio, quæ inter hæc maximè dubia videri poteſt, vniuerſim fit à Modo, qui à Priori ſic deſcribitur: Modus eſt actualis determinatio rei indifferentis, & Exercitium actuale, potentiæ tribuens actu ſuam denominationem. Effectus formalis Modi eſt ita tollere indifferentiam, vt ille nec per Abſolutam potentiam poſſit exiſtere, niſi actu aliquod ſubiectum ad peculiare Eſſe, ſaltem extrinſecum, determinet. Indicium diſtinctionis Modalis eſt ſeparatio Non-Mutua.

XLV. Veritas Tranſcendentalis eſt conformitas cuiuſque rei cum ſua regula infallibili, ad quam facta eſt, quæ eſt Idea Diuina radicaliter ſumpta, ſeu Eſſentia Diuina vt imitabilis. Bonitas eſt conuenientia, quam res habent ad eum finem,

finem, ad quem conditæ ſunt à DEO, qui eſt declarare Perfectiones Diuinas. Tolerabiliter etiam deſcribitur Bonitas ab Appetibilitate tanquam à Poſteriori, & à Perfectione tanquam à Priori.

XLVI. Eſſentia cuiuſque rei formaliter non eſt ipſa res, habens realem quandam præſentiam in æternitate, ſed eſt Eſſe rei ipſius, prout eſt radix Exiſtentiæ, abſtrahens ab Exiſtentia, ſi quidem poſitiuè ſumatur; quòd ſi accipiatur negatiuè, tum eſt res ipſa, prout negationem habet actualis Exiſtentię rerũ, licèt in ſe ſint Neceſſarię & Immutabiles, atq; adeò quoad hoc Voluntati Diuinæ non ſubſint, non tamen par omnium eſt Neceſſitas: aliæ enim tantùm habent neceſſitatem ſecundùm Quid, aliæ verò ſimpliciter, omnes tamen certo modo ſunt Reales, Æternæ, & Improducibiles.

XLVII. Exiſtentia eſt actualitas Rei, per quam res actu in rebus conſtituitur. Non diſtinguitur ab Eſſentia niſi formaliter, nec realem cum iſta compoſitionem facit, neque poteſt concipi vt verum Accidens ipſius Eſſentiæ. Eiuſdem ſpeciei eſt quæuis Exiſtentia, cuius eſt ipſa Eſſentia. Propria Exiſtentia non ſolùm Subſtantijs, ſed etiam Accidentibus conuenit. In rebus creatis ita eſt terminus productionis, vt non illa ſola, ſed ſimul etiam Eſſentia materialiter & quoad Entitatem producatur.

---

§. 2.

ENS RATIONIS.

XLIIX. DEfinitur eſſe id, quod tantùm habet eſſe Obiectiuum in Intellectu. Diuiditur præcipuè in aliud, quod eſt cum fundamento in re, & in aliud, quod eſt

ſine fundamento in re. Poſterioris membri ſunt infinita quaſi genera, prout nimirum infinities quaſi mutari poteſt varia diuerſarum eſſentiarum inter ſe confuſio. Prioris membri tria genera numerantur: Relationes rationis, Priuationes, & Negationes, quæ tamen ante actualem ſui cognitionem non exiſtunt.

---

§. 3.

ENS INCREATVM.

XLIX. POteſt naturalibus rationibus à Poſteriori demonſtrari quòd ſit DEVS, ſiue Ens Increatum, non verò poteſt id fieri à Priori. Hæc propoſitio: DEVS eſt, non eſt per ſe nota quoad nos, eſt autem per ſe nota ſecundùm ſe. DEVS eſt ſimpliciter perfectus non quaſi fiendo abſolutus ſit, ſed quia DEO nil deeſt in omnimoda perfectione. Exiſtentia eſt de Eſſentia DEI, ſicut & Scientia; reliqua Attributa Diuina tam inter ſe, quàm ab Eſſentia formaliter diſtinguuntur.

L. DEVS eſt Vnus, Verus, Bonus, Infinitus, Immenſus, Immutabilis, Incomprehenſibilis. Infinitudo DEI conſiſtit in eo, quòd DEVS ita ſit eſſentialiter perfectus, vt careat in ſua Eſſentia termino ac limite perfectionis, qualis in cæteris rebus eſt certus gradus Entis. Immenſitas DEI ſe ſe etiam ad ſpatia imaginaria extendit, ita vt etiam extra cœlum DEVS in ſeipſo ſit. Incomprehenſibilitas probabiliùs in eo conſiſtit, quòd cognitio creata nunquam poſſit adæquari Eſſentiæ Diuinæ. Voluntas DEI eſt verè libera, agit propriè propter finem, nec ex ſe agentibus creatis neceſſitatem imponit.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4.

ENS CREATVM.

LI. ITa hoc eſſentialiter dependet à Deo in Eſſendò & Operando, vt etiam contradictionem implicet, dari aliquam creaturam, quæ in cauſando non dependeat ab actuali concurſu Dei. quomodò quidem hodie concurrit cum creatura Devs immediatè, tam immediatione virtutis, quàm ſuppoſiti, eâdem numero actione cum actione creaturæ, ſine vlla prioritate prædeterminationis, cauſalitatis, vel naturæ.

LII. Jnter Devm & Creaturas dantur Relationes Reales tam Tranſcendentales quàm Prædicamentales. Poteſt Devs Creaturarum numerum infinities Syncategorematicè augere; non tamen poteſt infinitum Categorematicum in vllo genere producere. Devs cognoſcit omnes cogitationes Angelorum per æternitatem futuras, id eſt tot, vt nō plures ſuperſint, quæ in Intellectu Diuino eſſe poſſint, non tamen per hoc illæ cogitationes acquirunt rationem Infiniti Categorematici.

LIII. Creatura Deo perfectiſſimè ſubiecta eſt, adeò vt potuiſſet quamcunque, non ſucceſſiuam, ſed permanentem, ab æterno, etiam verâ Creatione producere; imò aliam Creaturam ad creationem alterius aſſumere. Potéſtque Devs vniuerſim creaturas ad quemuis effectum, etiam ſupernaturalem, non impoſſibilem, ſiue paſſiuè, ſiue actiuè aſſumere, modò non aliunde ſit impedimentum, quale etiam eſt in Creatura, quæ nullam penitus vim agendi naturalē obtinet, vt probabiliter eſt Materia prima.

Digitized by Google

LIV. Ad hos effectus præſtandos datur in Creatura Potentia Obedientialis, tam Actiua, quàm Paſſiua, quæ in genere nil aliud eſt, quàm Aptitudo poſitiua, quam res habet ad aliquid obtinendum ab eo, cui obedire apta eſt, vel præter vel ſupra ordinem Naturæ. In ſpecie verò Potentia Obedientialis Paſſiua, nil eſt aliud, niſi res ipſa potens recipere formã aliquam, aut quaſi formam, ſibi naturaliter indebitam, ſi quidem ſumatur ſecundùm id, quod dicit intrinſecè in ſubiecto.

LXV. Potentia Obedientialis Actiua, prout ſe tenet ex parte Cauſæ, nil aliud eſt, quàm ipſa Entitas Cauſæ, prout præter actiuitatem ſibi connaturalẽ, connotat concurſum Dei extraordinarium, eúmque vel poſſibilem, ſi Potentia accipiatur in actu primo; vel actualem, ſi accipiatur in actu ſecundo, ſeu vt exercita; quíq; Dei concurſus feratur in res, generali & creaturæ cõnaturaliter debito modo agendi non producibiles.

§. 5.

ACCIDENS.

LVI. Accidens Analogiam habet ad 9. Prædicamenta Accidentium, ſi quidem Auctoritas Philoſophi ſpectetur. Idem Vniuocationem habet ex aliquorum grauium Auctorum ſententia. Subiectum Accidentium per ſe non eſt totum Cõpoſitum, nec tantùm Materia prima, nec tantùm Quantitas, ſed tam Materia quàm Quantitas, non quaſi vnum numero Accidens ſubiectetur tam in Materia quàm in Quantitate, ſed quia vtriq; huic parti ſuum peculiare Accidens conuenit, ita vt non aliter Materia, quàm ipſa Quantitas, ab eiuſdem rationis & conditionis Accidentibus, maximè ad generationem facientibus, ſit inſtructa.

LVII. In-

Digitized by Google

LVII. Jnhæſio Accidentis probabiliter quidem eſt quid, realiter ſtrictè diſtinctum ab Accidente Abſoluto; probabiliùs tamen eſt, nil eſſe realiter diſtinctum ab eodem Accidente, ſed eſſe ipſammet Accidentis eductionem ex ſubiecto, à reliquis omnibus Eductionibus per ordinem ad ſuos terminos ſpecie diſtinctam. Ordo ille conſiſtit in eo, quòd à ſubiecto dependere faciat talem Entitatem, quæ non dat eſſe ſimpliciter compoſito ſubſtantiali, ſed illi iam in ſuo eſſe conſtituto ſuperuenit.

SECTIO TERTIA.
RATIO ET CONDITIO
PRÆDICAMENTORVM.

LVIII. ENs Reale non inuſitatè ſubdiuiditur in decem Prædicamenta, id quod huc referendum duximus. Prædicamentum eſt concretum quoddam, pro materiali dicens naturas genericas & ſpecificas, ſeu prædicata rerum eſſentialia; pro formali autem actum Intellectûs hæc prædicata coordinantis. Eſt enim nil aliud, quàm ordinata quædam diſpoſitio prędicatorum eſſentialium, à ſummo Genere continuata per medias Species, adnexis ad latus Differentijs.

LIX. Diuiſio Entis in Decem Prædicamenta non eſt Jmmediata, ſed tamen Adæquata, concinnámq; & fructuoſam ad philoſophandum Entis diſtributionem continens. Sufficit ad Prædicamenta diſtinctio Formalis. Accidentia ſiue Phyſica ſiue Logica, tantùm in Abſtracto, Subſtantiæ verò tantùm in Concreto Prædicamẽtum ingrediuntur. Vt aliquid ponatur Per ſe in Prædicamento, debet eſſe Finitum, Completum, Vnum Per ſe, Ens Reale, Ens Jncomplexum.

LX. Diffi-

Digitized by Google

LX. Difficile eſt omnium conditionum ſolidam rationem afferre, ſingulæ congruitatem ſaltem habent. Prima enim de infinitate eſſentiæ intellecta, Auctorum arbitrio videtur poſita, ad rectè ſtatuendas prædicationes formales, quæ vniuerſalitatem requirunt, Enti Infinito non conuenientē, Secunda & Quarta in ordine ad Scientias ponitur, quæ Naturas Integras & Reales conſiderant. Tertia & Quinta ad vitandam Entium inter ſe confuſionem ſtatuitur, vt nimirum de quouis diſquiri ſecundùm propriam eius rationem poſſit.

SECTIO QVARTA.

§. 1.

SVBSTANTIA.

LXI. Svbſtantia eſt Ens per ſe exiſtens, ſiue per propriam Subſiſtentiam connaturaliter terminatum. Diuiditur in Primam & Secundam. Diuiſum huius diuiſionis eſt Subſtantia Completa formaliter ſumpta. Subſiſtentia eſt Terminus ſubſtantialis, vltimò complens Naturam, conſtituénſque rem per ſe ſubſiſtentem & alteri ſuppoſito incommunicabilem, ita quidem, vt ipſa Subſiſtentia ſit Entitas poſitiua, abſoluta, diuiſibilis ad diuiſionem rei ſubſiſtentis, producta ab ipſo generante.

LXII. Poteſt tamen per abſolutam potentiam Natura ſubſtantialis exiſtere abſque omni Subſiſtentia, poteſt ſubſiſtere etiam ſimul per plures Subſiſtentias, tam proprias, quàm alienas, tam creatas, quàm increatas, tam immediatè quàm mediatè. Si Subſiſtentia eſſet Modus, adhuc tamen non implicaret duas naturas per vnam ſubſiſtentiam ſubſiſtere, quamuis aliàs Modus per nullam potentiam poſſit modificare alienum ſubiectum.

Digitized by Google

§. 2.

SPIRITVS.

LXIII. Svbſtantia Creata, Jmmaterialis ſeu Spiritualis, alia eſt Completa, alia Jncompleta; illa Naturam Angelicam ſeu Jntelligentias conſtituit, iſta Animam Separatā; quæ conueniunt in gradu Superiori Jmmaterialitatis, ſeu quod idem eſt, in eo quòd ſint Ens per ſe primò quantitatis incapax, & à tali Ente in fieri independens; ſicut è diuerſo Materialitas habetur ex eo, quòd aliquid ſit Ens per ſe primò Quantum, vel à tali dependens.

LXIV. Licèt certum ſit dari Jntelligentias, earum tamen exiſtentia non poteſt euidenter demonſtrari. Multitudo Angelorum maxima quidem eſt, ſed finita & nobis incerta; ſicut etiam incertum eſt, an de facto ſolo numero, an verò ſpecie etiam aut genere, ſiue omnes ſiue aliqui differant. Triplex eſt Potentia in Angelis, eáque ab eorum ſubſtantia realiter indiſtincta; nempe Jntellectus, Voluntas, & Potentia Locomotiua.

LXV. Angeli habent Species Jntelligibiles, ſibi in primo inſtanti ſuæ Creationis congenitas, per quas intelligunt tam immaterialia quàm materialia, quandoque ſine complexione Jntellectionis, aut habitu, quandoque cum illis; Propriam tamen Subſtantiam non intelligunt per Speciem diſtinctam. Angeli non cognoſcunt Jntellectiones aut Affectiones hominum, niſi iſti velint has operationes notificare; neque inter ſe aliter loquuntur, quàm dirigendo tali modo ad ſe inuicem ſuas Jntellectiones interuentu Voluntatis.

LXVI. Voluntas Angeli eſt libera, potens peccare, & capax obſtinationis in malo. Per Potentiam Locomotiuam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

poſſunt Angeli probabiliter deſerto vno loco eſſe in alio ſine tranſito medio, licèt hoc non videatur eſſe motus localis. Angeli nec Subſtantiam nec Accidens, ſiue corporeum ſiue ſpirituale, poſſunt directè producere, excepto motu locali & quæ ad eum neceſſaria ſunt; nec poſſunt inducere Vacuum, aut Replicationem Penetrationémue corporum facere.

LXVII. Poſſunt tamen tam Corpora quam alios Spiritus, verè de loco in locum transferre, & in eodem detinere. Poſſunt applicatione Actiuorum ad Paſſiua efficere, quidquid ipſa Natura poteſt, itémque impedire, quidquid defectu cauſarum neceſſariarum in rerum naturà impediretur; & hoc, quantum quidem illis conceſſum eſt iſtiusmodi cauſas applicare, vbi enim id ipſis negatur, effectum nullum cauſabunt.

LXVIII. Animæ Separatæ multa communia ſunt cum Angelis: nam & vtitur Speciebus Intelligibilibus de nouo productis à DEO, quamuis etiam iuxta illas retineat, quas coniuncta corpori acquiſiuit; & modum loquendi, volendi, mouendi aliena, cognoſcendi ſuam ſubſtantiam, talem habet proportionaliter vt Angeli. In eo tamen ab illis diſcrepat, quòd ſtatus iſte Separationis animæ ſit præternaturalis, & ſeipſam moueat Potentià Locomotiuâ, quæ ſaltem inadæquatè diſtinguatur ab ea, quam habuit in corpore.

---

§ 3.

CORPVS.

LXIX. QVæcunque ſubſtantia diuiſibilis, & habens partes integrantes capaces Quantitatis, eſt verum Cor-

Corpus, ſiue conſtet materiâ & formâ, ſiue non: ſentimus enim de facto quidem omne corpus eſſe compoſitum ex materia & forma, per abſolutam tamen Potentiam poſſibile eſſe corpus ita Simplex, vt talem compoſitionem excludat. Gradus Corporeitatis in corpore aliquo completo, & non prædicto modo ſimplici, deſumitur tam à materia quàm à forma, ab illa quidem vt à Principio, ab hac verò vt à Complemento.

LXX. Corpus naturale, prout de facto productioni corruptioníque obnoxium eſt, non meliùs cognoſci poteſt, quàm ſi eius Principia Cauſæque explicentur. Principia ſunt Materia, Forma, & Priuatio, non tamen omnia ad Corporis Naturalis quamlibet conſtitutionem concurrunt: nam Corpus Naturale in Facto eſſe, principiatur à ſola Materia & Forma; in Fieri verò, prout illud Fieri eſt Mutatio, requirit Materiam, Formam, & Priuationem; prout illud Fieri eſt Actio, pro principio habet Materiam, Formam & Agens; prout eſt Paſſio, Materiam & Formam.

LXXI. Materia prima eſt ſubſtantia Ingenerabilis & Incorruptibilis; ſecundùm Quid nobilior Formâ Subſtantiali Materiali, Simpliciter ignobilior; formarúmque omnium tam Inhæſionis quàm Informationis Subiectum. Eſt de facto vna tantùm ſpecie, poſſibilis tamen eſt alia diuerſæ ſpeciei. Eſt de eſſentia Corporis naturalis transmutabilis non tantùm in communi, ſed etiam in particulari.

LXXII. Materia eſt pura Potentia Subiectiua, non Obiectiua; habet Exiſtētiam propriam & diſtinctam ab Exiſtentia Formæ, imò etiam independentem; poſsétque per generalem Dei concurſum ſine omni forma ſubſtantiali conſeruari. Potentia, quâ Materia reſpicit Formas, non diſtinguitur perfectè formaliter ab ipſa Materia; reſpicit omnes For-

Digitized by Google

mas Naturales eſſentialiter, id eſt tam Subſtātiales quàm Accidentales, etiam Artificiales, etiam deſtructas.

LXXIII. Forma rectè definitur : Subſtantia ſimplex & incompleta, quæ vt Actus Materiæ, cum ea conſtituit eſſentiam ſubſtantiæ compoſitæ. Dari Formam, euincit Mutatio ſubſtantialis. De facto omnes formæ Materiales ſunt per Generationem, prout Creationi opponitur, productæ; id eſt, tam ſubſtantiales quàm accidentales, tam naturales quàm ſupernaturales, etiam violentæ & artificiales, etiam Elementorum, etiam Cælorum.

LXXIV. Forma & Materia habent etiam rationem Naturæ, ab Ariſt. in 2. phyſ. declaratæ. Includit enim Naturæ definitio Principium Motûs, tam Actiuum ſeu Formā, quàm Paſſiuum ſeu Materiam; hæc tamen propriè Natura non eſt, niſi prout ſubeſt Principio Actiuo. Natura non ita neceſſariò eſt cauſa Motûs & Quietis, vt vtrumque producere debeat, ſed ſufficit, ſi habeat alterutrum.

LXXV. Priuatio poteſt dici purum Nihil, ſi per hoc intelligatur ſolùm id, quod nullam rem ponit; non verò, ſi per hoc intelligatur id, quod omnem rem negat. Priuatio non tantùm connotat ſubiectum & formam, ſed etiam poteſt connotare Agens & Diſpoſitiones, & pro vtrorumuis varietate immutari; vnde reſpectu horum Connotatorum plures ſunt Priuationes, quàm Formæ; non tamen ſunt actu infinitæ.

LXXVI. Priuatio alia eſt Formæ abijciendæ, alia inducendæ; prior non eſt Principium compoſiti naturalis, ſed poſterior, eáque prout tam à proxima, quàm à remota abſtrahit. Proxima rectè dicitur illa, quæ connotat diſpoſitiones Formæ in Materia retinendæ quidem, non tamen in eandem inducendæ ſufficientes.

LXXVII. Cau-

Digitized by Google

LXXVII. Cauſa corporis naturalis eſſentialem ſuam rationem in eo ſitam habet, vt ſit Principium influens Eſſe in aliud. Si ſumatur prout eſt in Potentia Logica, tum formaliter conſtituitur per Poſſibilē Exiſtentiam; ſi verò ſumatur, prout eſt in Actu primo Phyſico proximo, tum conſtituitur formaliter per Vim cauſandi. In Actu ſecundo Logico Cauſa conſtituitur per Exiſtentiam, in Phyſico per Cauſalitatem. Vis Cauſandi ex ſe tantùm diſtinguitur formaliter ab Entitate Cauſæ; Cauſalitas verò ab vtraque vt plurimùm realiter.

LXXVIII. Quod ad Effectûs poſitionem, præter Cauſam, reipſa actu requiritur, nec tamen ad eundem confert per modum influxûs alicuius ſeu moralis ſeu phyſici, ſed ſolummodò per modum applicantis obiectum, vel remouentis obſtaculum, id, inquam, Conditio vocatur. Ea in cauſis phyſicè mouentibus triplex eſt. Prima eſt Simultas Cauſæ & Effectûs quoad tempus; Secunda Simultas vtriuſq; reſpectu loci; Tertia eſt Prioritas Naturæ in cauſa ad effectum. Prioritas illa non intercedit inter cauſalitatem & effectum, ſed ſolùm inter iſtum & cauſam vt ſic.

LXXIX. Diuiſio illa Cauſæ in quatuor vulgata cauſarum phyſicarum genera, non quidem eſt in membra immediata, aut Species infimas; eſt tamen Adæquata, vniuoca, & in membra ſaltem formaliter Oppoſita. Cauſæ Diſpoſitiuæ ad Materialem, Inſtrumentales ad Efficientem, Obiectiuæ & Ideales tum ad Efficientem, tum ad Formalem reuocari poſſunt.

LXXX. Cauſæ aliæ ſunt Intrinſecæ Compoſito, vt Materia & Forma; aliæ Extrinſecæ, vt Efficiens & Finis. Cauſa Materialis reſpectu Vnionis & Formæ non eſt cauſa Jntrinſeca, ſed reſpectu ſolius Compoſiti, habétque Vim cauſandi à ſe indiſtinctam. Cauſalitas cauſæ Materialis reſpectu Com-

poſiti ſecundùm Entitatem, ſeu ipſam compoſitionem in Facto eſſe ſpectati, eſt Vnio qualiſcunque ex recenſendis. Reſpectu Vnionis verò & Formarum materialium tam in Fieri quàm in Facto eſſe, eſt Paſſio.

LXXXI. Cauſæ formalis effectus primarius eſt Compoſitum, ſecundarius eſt Expulſio præcedentis formæ. Iſte nō fit effectiuè à Forma, ſed in genere cauſæ formalis, nec eſt naturâ prior poſterióve introductione formæ ſequentis. Cauſalitas formæ in compoſitum eſt ea ipſa Vnio, quam etiam Materiæ cauſalitatem diximus in idem compoſitum.

LXXXII. Vnio eſt ſubſtantialis Entitas, modaliter diſtincta tam à ſuis terminis, quàm etiam ab Actione productiua Compoſiti. Eſſentialiter requiritur à Compoſito. Materiæ inexiſtit vt Subiecto, formam afficit vt Terminum. Poteſt ſupernaturaliter creari; imò ita ſe habere, vt neutrum extremorum intrinſecè afficeret. Poſſet etiam ſupernaturaliter Vnionis officium præſtare actio aliqua, ſiue Eductiua, ſiue Creatiua. Poteſt Vnio quadrupliciter ſe habere reſpectu Compoſiti naturalis: primò ita vt à Materia cauſetur tam Vnio quàm Forma; ſecundò ita vt ſola Vnio educatur, Forma creetur; tertiò ita vt vtraque creetur; quartò ita vt Forma educatur, Vnio creetur.

LXXXIII. Compoſitum à ſingulis partibus ſeorſim ſumptis, diſtinguitur realiter, ſaltem inadæquatè; ab vtraq; parte ſimul, ſed ſine vnione ſumptis, diſtinguitur modaliter; à partibus autem vt vnitis, nec realiter nec perfectè formaliter diſtinguitur. Idem Compoſitum abſolutè non manet, ſi quid intrinſecè illi addatur aut deceedat. Hinc neceſſarium eſt dicere Petrum iuuenem & ſenem non eſſe eundem adæquatè hominem in rigore phyſico, non tamen eſt tantùm idem moraliter, ſed ſaltem ſecundùm partes primigenias eſt idem phyſicè.

LXXXIV. Vna

LXXXIV. Vna Forma ſubſtantialis ita neceſſariò reſpicit ſuam Materiam, vt naturaliter nec vna Forma plures Materias informare, nec vna Materia pluribus Formis informari poſſit, licèt ſupernaturaliter neutrum implicet; ſicut nec implicat virtute Diuinâ vel Formam ſpiritualem, aut ſupernaturalem accidentalem, aut in ſubiecto materiali aut naturali, vel è contra ſubiectari; vel materialem ſubſtantialem ſiue in ſubiecto ſiue extra ſubiectum creari, aut ſimilem ſpiritualem educi.

LXXXV. Qui vel Formam cum Vnione, vel ſolam etiam Vnionem in Compoſito naturali producit, dicitur produxiſſe ſeu generaſſe Compoſitum. Terminus Generationis formalis ſi ſumatur pro eo, qui ſub ratione productionis à generatione formaliter attingitur, nec eſt Forma, nec Vnio, ſed ratio Educibilis, quæ nimirum communis eſt tam Vnioni quàm Formæ, cùm vtraque ex ſubiectò educatur. Aliter ſe res habet, ſi vel Generatio pro vnitione, vel eius Terminus pro Forma Compoſiti ſumitur: ſic enim prioris Terminus formalis eſt Vnio, poſterioris verò eſt Forma vt vnita.

LXXXVI. Generatio ſubſtantialis ab Ariſtotele definita, Mutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem, eſt vera ſpecies Conuerſionis, ſic in genere definitæ: Eſt Deſitio rei vnius ex poſitione alterius, ipſi incompoſſibilis. In iſta Generatione, Formam priorem ſemper deſtruente, non fit reſolutio omnium Formarum accidentalium vſque ad materiam primam, ſed ſubſtantialium. In corruptione Viuentium loco animæ ſuccedit forma Cadaueris, habens tantùm Vnitatem integritatis, cùm conflectur ex pluribus ſpecie Formis Partialibus, quæ in diuerſis organis reſident.

LXXXVII. Efficiens, quæ eſt altera ex cauſis Extrinſecis

Digitized by Google

ſecis Corporis Naturalis, dicitur Primum Principium, vnde Motus & Quies. Inter multiplices eius diuiſiones maximè controuerſa eſt ea, quâ diuiditur in Principalem & Inſtrumentalem. Nobis Principalis eſt ea, quæ propriâ virtute effectum producit, qui vim illam non excedat; Inſtrumentalis verò eſt ea, quæ alienâ virtute effectum producit, qui vim Inſtrumenti excedat.

LXXXIIX. Virtus illa, quâ inſtrumentum dicitur agere, non eſt quid realiter ab ipſo Inſtrumento diſtinctum, ſed eſt Relatio quædam Tranſcendentalis, quâ Inſtrumentum ita naturaliter ſubordinatur cauſæ Principali, vt ex vi huius ſubordinationis idem poſſit, quod ipſa cauſa, in cuius finem agere natum eſt Inſtrumentum, reſpectu Effectûs Inſtrumento nobilioris. Et hoc ipſum etiam eſt Eleuari à cauſa Principali, ſiue Inſtrumentum agere per Eleuationem.

LXXXIX. Principium Operandi Radicale Cauſæ Efficientis ſubſtantialis, eſt ipſa Forma ſubſtantialis; & reſpectu ſuarum proprietatum eſt etiam Proximum, ſed Inſtrumentale. Reſpectu Effectuum tranſeunter productorum, Principium Proximum ſunt quandoque ſola Accidentia in Paſſo ſubiectata, cùm nimirum omne aliud Agens deeſt; quandoque ſunt ea ipſa Accidentia, quæ vnà cum Accidentibus & Forma Agentis, tanquam Cauſæ Partiales, Effectum producunt in Paſſo ſibi nimirum coniuncto.

XC. Accidentia producunt Subſtantiam inſtrumentaliter in virtute Naturæ Communis; non verò principaliter agente vel Deo, vel Cœlo, vel Indiuiduo Vago, vel etiam Determinato, actualiter præſente. Cœlum, Elementa, & huiuſmodi alia, à quibus accidentia cauſantur vel effectiuè vel materialiter, poſſunt ſaltem aliquo modo dici Inſtrumenta Naturæ Communis, imò reſpectu eorum graduum, qui

Digitized by Google

qui illorum virtutem non ſuperant, vt Subſtantiæ, Corporis, &c. in effectu repertorum, ſunt cauſa Principalis. Cauſalitas cauſæ Efficientis eſt Actio.

XCI. Cauſa Finalis adæquatè conſtituitur ex tribus inadæquatis finibus, nempe ex Fine Cuius, qui includit Formalem & Obiectiuum, & ex Fine Cui. Vis cauſandi Finis eſt Bonitas cognita, ſeu vera ſeu apparens, modò non iudicetur impoſſibilis, ſiue ſit boni Honeſti, ſiue Delectabilis, ſiue Vtilis quà talis. Cauſalitas Finis eſt Intentio. Effectus Finis ſunt Media & Actiones circa media elicitæ. Bruta & Agentia naturalia agunt propriè propter Finem.

XCII. Prædictæ Cauſæ ſi vel inter ſe, vel ad ſuos Effectus comparentur (præter ea, quæ th. LXXXII. & LXXXIV. continentur) ita ſe habent. Naturaliter impoſſibile eſt, vt idem Effectus ſiue à priori ſua cauſâ, ſiue ab alia reproducatur, vbi ſemel fuit deſtructus; id quod eſt ex naturali impotentiâ Actiuâ Cauſæ, & Paſſiuâ Effectûs. Supernaturaliter tamen res omnes tam permanentes, quàm ſucceſſiuæ ſecundùm ſuam Entitatem poſſunt reproduci, ſiue à ſolo Deo, ſiue ſimul etiam à Creatura.

XCIII. Reſpectu finis mutuam Cauſalitatem poſſunt exercere omnes reliquæ cauſæ, etiam naturaliter. Poſſunt etiam naturaliter vnius Effectûs eſſe duæ cauſæ Finales, Totales, non Vltimæ, & non Subordinatæ. Cauſæ Efficientes Totales plures naturaliter non poſſunt eundem Effectum producere, ſed ſupernaturaliter; ídque & ſucceſſiuè & ſimul. Non poteſt etiam ſupernaturaliter fieri mutua cauſatio inter Materiam & Formam, aut inter vtramuis harum & cauſam Efficientem.

Digitized by Google

§. 4.

INANIMATVM.

XCIV. Aliud corpus naturale in ſpecie eſt Animatum, aliud Inanimitum. Inanimatorum, præſtantiſſimum eſt Corpus Cœleſte. Cœlum conſtétne ex Ariſtotelis ſententia Materiâ, nec ne, ſatis incertũ eſt. Illud certum, quòd Philoſopho Cœlum fuerit Incorruptibile, Æternum, & quintæ cuiuſdam à ſublunaribus omnibus diſtinctę Eſſentiæ. Huic cœli perfectioni ſi Ariſtoteles pro fundamẽto ſubſtruxit manifeſtum illum errorem, quem magnis DD. habere viſus eſt, quòd nimirum ex Cœlo faceret ipſum Deum; non iniuriâ aliud Cœlorum incorruptibilitati fulcimentũ indagatur.

XCV. Cœlum itaque conſtat Materiâ, eâque eiuſdem ſpeciei cum Materia rerum ſublunarium; Formam habet à formis rerum ſublunarium ſpecie diſtinctam. Nec graue eſt, nec leue, nec lucidum, nec coloratum, eſt tamen perſpicuum. Supra ſe habet Aquas, à noſtris probabiliter ſpecie diſtinctas. Cœlorum numerus binario concluditur. Liquidúmne ſit Cœlum, an verò ſolidum, adhuc Controuerſia eſt: vtraque ſententia habet ſuas authoritates, vtraque rationes.

XCVI. Aſtra non à ſeipſis, ſed ab extirinſeca Intelligentiarum opera, ſine Raptu à cœlis profecto, mouentur. Tam à cœlo, quàm inter ſe eſſentialiter diſtinguũtur, licèt fortaſſe non omnia. Non poſſunt ſimul in Orientem & Occidẽtem moueri. Poli cœlorum (ſi in ſolido ſunt) non quieſcunt, ſed etiam ipſi mouentur, vt præter Recentiorum Veterúmque non dubium Auctoritatem docet Ratio.

XCVII. Scintillatio Stellarum in ſententia Ariſtotelis non poteſt referri in volutationem earundem intra ſuas caueas,

Digitized by Google

ueas, ſed debet in irrequietam vaporum intercurſantium fluctuationem. Maculæ & Faculæ Solares ſunt veræ Stellæ. Aſtra in Mundum Sublunarem agunt etiam per Influentias occultas, non tamen per motum, nec ita neceſſariò, vt illâ actione deficiente ſublunaria continuò perirent; nec ita violenter, vt voluntatem humanam neceſſitent.

XCIIX. Elementum ſimplicitate item & coniunctione loci cælo proximum eſt. Deſcribitur corpus ſimplex (ſecundùm Qualitates) ex quo mixtum componitur, vel in quod mixtum reſoluitur. Elementa eſſe quatuor, benè colligitur tum ex quadruplici combinatione primarum Qualitatum non contrariarum; tum ex motu ſimplici recto quadruplici. Datur Ignis ſub concauo Lunæ. Terra & Aqua habent idem centrum tam Magnitudinis quàm Grauitatis, nempe centrum Vniuerſi, faciúntque globum, ſaltem Aſtronomicè rotundum.

XCIX. Poſſunt Elementa inter ſe verè ſubſtantialiter transmutari quoad quaſuis partes, & quidem immediatè tam Symbola quàm Aſymbola, faciliùs tamen & citiùs illa quàm iſta. Poteſt etiam ab Aſymbolis tertium ſpecie diſtinctum produci, id quod per Symbola, in ſtatu naturali poſita, fieri non poteſt. Elementa poſſunt etiam mutari in Mixtum, & ſic dabitur vera Mixtio, quæ rectè definitur: Miſcibilium Alteratorum Vnio.

C. Mixtum aliud eſt perfectum, aliud imperfectum; Illud habet formam Mixti, Iſtud habet mixtas Qualitates, & communi iam nomine Meteorũ vocatur. Ad neutrum opꝰ eſt omnia quatuor Elementa actu concurrere. In iſto Elementa manent actu etiam quoad Formam ſubſtantialem, in illo verò potentiâ, ſeu tantùm quoad Qualitates. Mixti Im-

Digitized by Google

perfecti ſeu Meteori materia remota eſt Aqua & Terra, propior verò eſt Vapor & Exhalatio.

CI. Meteora denominationem vniuerſaliorem, pro quaternario Elementorum, habent ipſa quoque quadruplicem; alia Ignea, alia Aërea, alia Terrea, alia Aquea nuncupantur. Inter Ignea numerantur etiam Galaxia & Cometæ; ſed Galaxia penitus ad cœlum ſpectat: probabiliter enim nil aliud eſt, quàm lumen à pluribus ſtellulis certâ parte cœli diſpoſitis profectum. Cometæ ſaltem aliqui ſunt cœleſtes, idque vel omnino, vel ſaltem ex parte; vtrorumque caput ex ſtellis; priorum cauda ex ſplendore Solis conſtat, poſteriorum ex viſcoſa exhalatione.

CII. Inter Aërea Meteora princeps eſt Iris, ſeu Arcus in nube Rorida & Opaca, ex reflexione radiorũ Solis oppoſiti multicolor apparens. Centrum Oculi, Iridis, & Solis in eadem linea requirit hoc Phænomenon. Inter Aquea numerantur Æſtus maris & Fontes; ille ab Influentijs Lunæ & Solis; iſti partim à Mari, partim à Vaporibus ortum habent. Terreum Meteorum habetur Terræ Motus, qui eſt vehemens Terræ concuſſio, per Exhalationem ad latera Terræ appulſam facta.

---

§. 5.

ANIMATVM.

CIII. Corpus Animatum formaliter conſtituitur ab Anima, quæ definitur Actus primus corporis organici, potentiâ vitam habentis. Corpus Organicũ, quod eſt altera pars corporis Animati, nõ conſtituitur per ipſam Animam, nec etiam per Formas ſubſtantiales Partiales, ſed per primas ſecundaſque Qualitates, certo modo inter ſe contempe-

temperatas, certo modo differentes, & Materiam huic potiùs, quàm illi Formæ, ſuâ varietate perfectionéque præparantes.

CIV. Anima non reſidet tantùm in vno loco corporis, non tamen etiam in omnibus omnino corporis organici partibus reperitur: partes enim fluidæ, vt ſunt quatuor Humores principales, itémque Adeps, Medulla, & huiuſmodi non viuunt; viuunt verò partes ſolidiores, vt Caro, Cerebrũ, &c. imò etiam Crines, Roſtra, Vngues, &c. In vnoquoque Viuente ſimul tantùm vna eſt Anima, ſucceſſiuè tamen plures in prima generatione Animalis reperiuntur, quarum poſterior ſemper priorem expellit, eam tamen formaliter includit, v. g. Rationalis Senſitiuam, & iſta Vegetatiuam.

CV. Diuiditur Anima in Vegetatiuam, Senſitiuam, & Rationalem. Animæ quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, non differunt perfectione indiuiduâ ſubſtantiali, ſed tantùm accidentali. Nulla Anima Heterogeneitatem habet in diuerſis partibus corporis, nec ratione ſuæ Entitatis, nec ratione ſuæ Vnionis. Sola Anima Rationalis eſt Spiritualis, Indiuiſibilis, & creata à Deo; reliquæ ſunt Materiales, Diuiſibiles, & Eductæ ex materia. Singulæ ſecundùm quoſuis gradus ſunt veræ Formæ informantes.

SECTIO QVINTA.

QVANTITAS.

CVI. QVantitas eſt Ens per ſe Extenſum, Extenſione nimirum Quantitatiuâ, hoc eſt, cui eſſentialiter cõiuncta ſit Impenetrabilitas Aptitudinalis, ſi quidem Quantitas ſumatur ſecundùm vltimam ſuam rationem; ſi verò ſumatur ſecundùm rationem communem continui, tum ſuf-

Digitized by Google

ficiet Extenſio Entitatiua, qua nimirum extenduntur partes præcisè in ordine ad ſe. Impenetrabilitas, vti & Extenſio, tantùm formaliter diſtinguuntur à ſuo ſubiecto; potéſtque illa ſumi vel Formaliter, & eſt ipſa indiſtantia corporum ſub eodem ſpatio; vel Cauſaliter, & eſt Actio ſtatuens plura corpora Quanta in eodem ſpatio.

CVII. Quantitas diſtinguitur ſtrictè realiter à ſuo ſubiecto: Species eius ſunt tantùm tres: nempe Linea, Superficies, Corpus, eæque reales & poſitiuæ. Ratio Diuiſibilitatis, Menſurabilitatis, Menſuræ, Extenſionis &c: non ſunt Proprietates Quantitatis. Variè inter ſe comparari poſſunt; Menſura enim, Menſurabilitas, & Impenetrabilitas ſupponunt Extenſionem: Extenſio verò nec Impenetrabilitatem, nec rationem Menſuræ neceſſariò annexam habet. Æqualitas vel Inæqualitas & Menſura ſemper ſe comitantur. Diuiſibilitas conuenit Quantitati ratione Continuitatis.

CIIX. Continuum, cuius ratio maximè in Quantitate elucet, eſt nomen Concretum, materialiter ſignificans Entitatem in plura diuiſibilem, formaliter actualem eiuſdem Entitatis vnitatem, ſeu indiuiſionem. Definitur, Id cuius partes communi termino copulantur. Non componitur ex indiuiſibilibus, nec finitis nec infinitis, ſed ex partibus eiuſdem cum toto rationis, minoribus & minoribus in infinitum, Proportionalibus nimirum, vel æqualibus ſeu Aliquotis, quæ ſint Communicantes.

CIX. In Continuo non ſunt Partes actu formaliter, ſed ex ſe ſunt tantùm potentiâ, niſi aliunde actuentur; id quod tripliciter contingit. Primò partium ſeparatione. Secundò deſignatione, ſiue per Intellectum, ſiue per menſuram aliquam, aut aliud ſignum facta. Tertiò diuersâ Informatione, quæ ſi ſit Subſtantialis, etiam facit diſcontinuationem,

ſub-

Digitized by Google

ſublata quoad denominationem Vnione partium Homogenearum, vniuerſim ſeipſis, & non per diſtinctam Vnionem vnitarum.

CX. Non dantur Jndiuiſibilia à Quantitate Realiter diſtincta, neque Copulantia neque Terminantia, dantur autem vtriuſque generis Jndiuiſibilia, quæ ſaltem Formaliter à Quantitate diſtinguantur, eíque non actu ſed potentiâ inſint; id eſt, quæ materialiter quidem & quoad Entitatem aliud nil ſint, quàm ipſa Quantitas trinè dimenſa, quæ formaliter tamē & quoad officium idem præſtent, quod præſtarent ſi vel ſeparabilia forent à Quantitate.

CXI. Vna Quantitas prout alteri commenſuratur tam ſecundùm longitudinem quàm latitudinem, habet rationem Superficiei; prout verò tantùm ſecundùm longitudinem, habet rationem Lineæ. prout eadem Quantitas alteri ita coëxiſtit, vt illi ſecundùm nullam dimenſionem cōmenſuretur, in tantum tamen approximetur, vt ſaluâ figurâ propior eſſe non poſſit, talis, inquam, Quantitas habet rationem Puncti.

CXII. Quantitas eſt proprietas Corporis Naturalis, ipſi Materiæ comproducta, Jngenerabilis, Incorruptibilis. Jn Rarefactione nulla noua Quantitas acquiritur, nec in Condenſatione aliquid ex priori deperditur, ſed eadem Entitas priſtinæ Quantitatis in altero Motu parum Materiæ habet cum magnis dimenſionibus, in altero verò cum paruis habet multum Materiæ, id quod Natura mirabili modo præſtare nouit ſine vllius Penetrationis, Replicationis, aut Vacui euentu.

CXIII. Raritas & Denſitas Actualis & Formalis nil aliud eſt quàm Extenſio Materiæ. Raritas quidem eſt magna extenſio, connotantas parum materiæ, Denſitas verò eſt parua ex-

Digitized by Google

ua extenſio, connotans multùm materiæ. Rarefactio & Cõdenſatio non eſt Motus ad Qualitatem præciſè, ſed eſt productio Impulsûs, dilatantis parum materiæ ad magnas, & multum ad paruas dimenſiones conſtingentis.

SECTIO SEXTA.

§. 1.

QVALITAS.

CXIV. QValitati aſſignantur quatuor ſpecies complicatæ: Habitus & Diſpoſitio, Naturalis Potentia & Impotentia, Patibilis Qualitas & Paſſio, Figura & Forma. Hæ ſpecies non ſunt Infimæ aut Immediatæ, ſunt tamen Adæquatæ. Bina membra, quæ in ſingulis ſpeciebus aſſignantur, non diſtinguuntur inter ſe eſſentialiter, exceptâ quadantenus primâ ſpecie, ſi nimirum Diſpoſitio ſumatur pro actu Vitali ipſo, producente Habitum; non verò pro termino huius actûs, ſeu ipſo Habitu minùs intenſo.

§. 2.

HABITVS.

CXV. IN quantum Habitus eſſentialiter diſtinguitur à Diſpoſitione, huc venit; & quidem pro noſtrâ opportunitate, non prout eſt ſolummodò quaſi paſſiuum quid, vt ſanitas & ægritudo, ſed maximè prout eſt quid actiuum, vt ſunt habitus Virtutum & Vitiorum. Dantur habitus naturales acquiſiti, à ſpeciebus Intelligibilibus realiter diſtincti, qui ſint qualitates quædam poſitiuæ, permanentes, & de ſe ſtabiles in

les in ſubiecto, per ſe primò ordinatæ ad operationem, dantes Facilitatem, non Facultatem primam operandi.

CXVI. Habitus ſpecificatur ab actibus, quos producit: producitur à ſimilibus eorum, quos ipſe efficit, ídque aliquo modo principaliter, ſimpliciter tamen inſtrumentaliter, cõcurrente ſimul ipſa Potentia actualiter & vitaliter, ipſóque Habitu, ſi adſit. Habitus non poteſt omnem ſuæ, nec vllum alienæ Potentiæ actum phyſicè producere, nec Habitus naturalis poteſt actum ſupernaturalem, nec actus ſupernaturalis poteſt Habitum naturalem efficere.

CXVII. Intenſio Habitûs fit tã per actus æquales, quàm per actus quantumcunque remiſſiores, ídque per ſe in inſtanti & ſecũdùm totam latitudinem, quam actus in ſe habet, non tamẽ poteſt Intenſio in Habitibus naturalibus in infinitum augeri. Extenſio Habitûs ita fit, vt plures Entitates ſpecie diuerſæ aggregentur in Potentia, nec inter ſe vniantur, ſed vnitatem Ordinis reſpectu eiuſdem Totalis obiecti habeant.

CXVIII. Habitûs tam Remiſſio, quàm omnimoda Deſtructio, per ſe fit à contrarijs actibus & habitibus, non verò per obliuionem aut ceſſationem, aut deſtructionem organi, niſi fortè per accidens. Habitus corrumpitur ab Actu & Habitu quantumuis remiſſo, modo ex parte ſubiecti ſint gradus intenſi; ab illo quidem mediatè & effectiuè, ab iſto verò immediatè & formaliter.

CXIX. Etſi probabile ſit in Potentia Locomotiua & Membris externis eſſe proprios Habitus Operatiuos, abſolutè tamen tenẽdum eſt contrarium vt probabilius. E contrà Phantaſiæ & Appetitui ſenſitiuo etiam animalium, item Intellectui, Voluntati, Memoriæ hominis non ſunt negandi veri Habitus. Varia eſt diuiſio Habituum Intellectualium, vt

de Moralibus nil dicamus. Potiſſima nobis eſt in Speculatiuum & Practicum, in Subalternatum & Subalternantem. Subdiuiditur Habitus in Diſcurſiuum & non-Diſcurſiuum; in Artem, Errorem, Opinionem, &c.

CXX. Ad Habitus non Dicurſiuos ſpectat Habitus Principiorum, ſiue ſpeculatiuorum, ſiue practicorum; eſt realiter diſtinctus ab Habitu Scientiæ, Artis, Prudentiæ, &c. Verſatur circa Principia etiam communiſſima, non tamen circa Bonum in communi. Dependet ab Inductione & Experientia, non quidem vt à ratione Motiua, ſed tamen vt à conditione applicante Motiuum.

CXXI. Speculatiui Habitus à Practicis, imò hi ipſi inter ſe diſtinguuntur Fine. Habitus Practicus à Speculatiuo diſtinguitur eſſentialiter, ſi vtrique ſua ratio eſt adæquata. Vnitas Scientiarum Totalium non poteſt formaliter deſumi à varijs abſtractionibus à Materia. Quando Scientiæ Totales tres aſſignantur: nempe Phyſica, Mathematica, & Metaphyſica, plus commoditatis, quàm exactæ alicuius diuiſionis habetur ratio. Phyſica verſatur circa Corpus Naturale quà tale, Metaphyſica circa Ens vt Ens, éſtque propriè Sapientia.

CXXII. Propria Scientiarum ſubalternatio tres Conditiones requirit. 1. eſt vt Principia Subalternatæ probentur à principijs Subalternantis. 2. vt illius obiectum ſub obiecto Huius contineatur. 3. vt obiectum Illius ab obiecto Huius differat conditione Accidentali. Iſta conditio ſpectat ad obiectum materiale ſcientiæ Subalternantis, habitus tamen hos duos eſſentialiter diſtinguit.

CXXIII. Si Habitus Erroris, Opinionis, Scientiæ, &c. inter ſe & ad ſuum ſubiectum comparentur, tum ita ſe habent, vt primò Habitus Scientificus poſſit cum Habitu Fidei tam Humanæ quàm Diuinæ; item cum Habitu & Actu Opinionis

nionis de eodem obiecto complexo, etiam in ſummo gradu conſiſtere; cum Habitu verò & Actu Erroris non niſi in remiſſo.

---

§. 3.

DISPOSITIO.

CXXIV. VT hîc Diſpoſitionem ſumimus, ita maximè Intellectum concernit, & eiuſdem Habitus: ſunt nimirum Actus vt plurimùm ab his ipſis Habitibus producti, & eorum quoque varietatem ſectantur; quando etiam Actus alij ſunt Speculatiui, alij Practici; alij Veri, alij Falſi; alij Enunciatiui, alij Diſcurſiui; alij Scientifici, alij Opinatiui, &c. Actus Practici etiam continent Ideam. Definitur, Forma, quam aliquid imitatur ex intentione Agentis determinantis ſibi Finem. Formalem rationem Ideæ hîc definitæ habet Conceptus Obiectiuus rei factibilis, prout connotat eiuſdem rei Conceptum Formalem.

CXXV. Veritas & Falſitas Actuum deſumuntur à conformitate & difformitate cum obiecto. In prima Mentis operatione Complexâ datur Veritas & Falſitas cognitionis, in Incomplexa verò non datur Falſitas: Non diſtinguitur à Cõceptibus. Enunciatio formaliter conſiſtit in Iudicio; ſi verò ſumatur ſecundùm totam ſuam eſſentiam, non eſt vna ſimplex Qualitas; ſicut nec Diſcurſiuus Actus, formaliter alioqui in Illatione conſiſtens. Enunciatio ſemel vera non poteſt eſſe falſa.

CXXVI. Actus Scienticus debet eſſe Certus & Euidens, Euidentiâ quidem Phyſicâ, tam Formali, quàm Obiectiuâ, tam Conſequentiæ, quàm Conſequentis; Certitudine

Digitized by Google

verò itidem Phyſicâ Formali, non tantùm ſubiecti ſiue Adhæſionis, ſed etiam ipſius Actûs. Ad Actum talem requiritur ratione Certitudinis, primò, vt ſit Verus; ſecundò, vt per Motiuum infallibile; tertiò, vt per Modum vtendi Motiuo infallibilem; quartò, vt tam Modi quàm Motiui infallibilitas pateat aſſentienti; quintò, vt Aſſenſus verè ſit firmus.

CXXVII. Non poteſt ſimul in eodem ſubiecto ſtare Actus Erroris cum Scientia Actuali; nec Opinionis, habens formidinem actualem oppoſiti; nec poteſt idem Actus reſpectu eiuſdem concluſionis obiectiuæ eſſe ſimul Scientificus & Opinatiuus; nec per ſic diuerſa media Actus Scientificus generari; poteſt tamen ſimul ſtare Actus Scientiæ, & Opinionis, Fideíque, de eodem obiecto, modò non adſit actualis formido oppoſiti.

---

§. 4.

NATVRALIS POTENTIA.

CXXIIX. Potentiæ Elementorum potiores ſunt quatuor primæ Qualitates. Omnes ſunt Reales, Poſitiuæ, & Actiuæ; tametſi Siccitas & Humiditas in ſano ſenſu Paſſiuæ dici poſſint. Cuiuis Elemento duæ Qualitates non contrariæ conueniunt in ſummo naturaliter. Symbolæ conueniunt ſpecie, vti & Calor Elementaris cum Vitali ſeu Innato. Jſtæ Qualitates in Mixto certo modo contemperatæ dicuntur Temperamentum, ſeu Complexio Mixti. Poteſt naturaliter dari in aliquo Mixto Temperamentum æquale ad Pondus.

CXXIX. Ab his Qualitatibus, in extrinſecum agentibus, propria, ex mente Ariſtotelis, procedit Alteratio, Intenſio,

Digitized by Google

ſio, Reactio. Alteratio eſt mutatio Subiecti ſenſibilis permanentis in Paſſionibus Contrarijs & Medijs. Ex mente Ariſtotelis eſt neceſſariò Succeſſiua, ſecundùm ſe poteſt eſſe etiam Inſtantanea. Jntenſio eſt Mutatio, per quam Qualitas eadem in eadē parte Subiecti perficitur; fit additione gradûs ad gradum; nūquam excedit latitudinem Octo Graduum; conuenit ſolis Qualitatibus, ſed non omnibus.

CXXX. Remiſſio fit detractione gradûs à gradu. Gradus Qualitatum quoad perfectionem Jndiuiduam ſunt ſimpliciter Homogenei; exigit tamen ex natura ſua hic eſſe Primus, ille Secundus, &c. Cauſæ Intenſiuæ ad Effectûs rationem Indiuiduā non determinātur à Deo, ſed partim à Seipſis, partim à Subiecto, & ipſo etiam Effectu, non verò à Tempore & Loco. Etiam vnus gradus reſpicit infinitos alios in potentiâ, quos intra certam ſeriem producere poteſt.

CXXXI. Vt fiat talis Qualitatum Intenſio, neceſſarius eſt ſaltem virtualis contactus Agentis & Paſſi; naturaliter enim non datur actio in diſtans ab agente Totali, ſed tantùm à Partiali. Supernaturaliter tamen poteſt Cauſa tam Principalis, quàm Inſtrumentalis agere in diſtans; & poſſet probabiliter dari Creatura, cui hoc eſſet connaturale; imò ipſe Devs, ſi per impoſſibile non eſſet Immenſus, poſſet tamen agere in diſtans.

CXXXII. Qualitates iſtæ, vt & reliquæ, naturaliter non poſſunt agere extra propriam Sphæram, quæ illarum actiuitatem quoad extenſionem localem limitat; poſſunt tamen ſupernaturaliter. Intra Sphæram agunt vniformiter difformiter, cum aliqua tamen æqualitate. Agunt ex ſe ſimul immediatè in totam Sphæram, & quidem vnà cum Qualitatibus illis actiuis, quas produxerunt, quæ ſi in Conſeruari pendeant à ſua Cauſa, non habent propriam Sphæram, quod ſecus eſt in alijs.

 CXXXIII. Agens

Digitized by Google

CXXXIII. Agens debet eſſe à Paſſo diſtinctum, item diſſimile in gradu; & quantumuis Agens in magnitudine & denſitate excreſcat, plus tamen gradus non producet, quàm in ſe contineat; inde tamen eſt, vt poſſit extenſiùs, efficaciùs, & celeriùs operari. Calor minor ne inſtrumentaliter quidem poteſt producere maiorem, poteſt tamen hoc Lux. In Reflexione & Refractione vera fit Luminis Intenſio, & poteſt Lumen reflexum in ſubiecto radij perpendicularis, etiam ab hoc ipſo radio effectiuè, ſed inſtrumentaliter, procedere; de reliquo intenſius Lumen, vt & calor, eſt ab Agente Principali.

CXXXIV. Jntenſio in Antiperiſtaſi fit à cauſa quandoque Paſſo intrinſeca, quandoque ſuo modo extrinſeca, poſito tamen Contrario tanquam conditione. Vehemens enim infrigidatio v.g. Aquæ æſtiuæ, eſt à Forma ſubſtantiali, elapſo per apertos poros calore, ſuas proprietates per Emanationem reſtaurante. Calefactio ſimilis Aquæ hyemalis eſt à circumcoincluſo calore, exitum in obſtructis poris non habente. Reactio poſitiua naturaliter datur ſecundùm eandem partem, idem tempus, eandémque contrarietatem, inter Agentia ſtrictè contraria, cæteris ad agendum requiſitis inſtructa.

CXXXV. Aliæ Elementorum Potentiæ, & in ordine ad locum, ſunt Grauitas & Leuitas, quæ vocantur Qualitates Motrices. Procedunt effectiuè à certa combinatione primarum Qualitatum, præſuppoſitâ tamen debitâ Raritate & Denſitate tanquam Conditione. Eæ quæ ſunt diuerſi Nominis, etiam ſunt diuerſæ Speciei; eiuſdem nominis, eiuſdē quoque ſunt Speciei; conueniúntq; ſingulæ ſingulis Elementis in Summo.

CXXXVI. Grauia in loco naturali non grauitant, nec Leuia ibidem leuitant; quod idem fit, ſi nullum corpus habent

bent cõtiguum. Jn fine ſui motûs mouentur velociùs, quàm in principio, ídque potiſſimùm ob ſecundariam Grauitatem & Leuitatem, quam eliciunt. Grauium Natura eſt, vt tantò minùs in aqua quàm extra illam grauitent, quantum eſt põdus in aqua, quæ ſit ſimilis cum corpore graui molis.

CXXXVII. Animatorum Potẽtiæ vniuerſim ſpecificãtur immediatè ab Actu, mediatè ab Obiecto, iiſque primò adæquatè ſumptis; ſecundò etiam cum certo Modo tendendi, quo reſpiciuntur à Potentijs. Commodè adæquatum Potentiæ Obiectum ex imperfectiſſimis eiuſdem Actibus colligitur. Viuentis Rationalis Potentiæ eiuſdem nominis diſtinguuntur Specie à Pontentijs reliquorum Animatorum. Neutræ diſtinguuntur realiter ab Anima, licèt ſint Organicè, niſi ſecundùm Diſpoſitiones, quas connotant.

CXXVIII. Perfectio, quam Potentia Animæ ſic in genere reſpicit, eſt Actus Vitalis: eius eſſentia conſiſtit in eo, vt ſit Terminus talis actionis, quâ aliquid ſeipſum mouet ab intrinſeco ad perfectionem intrinſecam, ſibi indebitam in primo Generationis inſtanti: qui Modus agendi nimirum ſolis Viuentibus proprius eſt. Actus Vitalis effectiuè ſumptus, eſt Actio; ſumptus autem formaliter, eſt terminus Actionis ab eadem realiter diſtinctus.

CXXXIX. Actus Vitales in duplici ſunt differentia: alij vocantur Intrinſeci, alij Extrinſeci. Priores probabiliùs eſt recipi in ipſa ſubſtantia Animæ; poſteriores ſubiectantur in Materia. Poteſt Actus Vitalis ſecundùm entitatem à ſolo Deo produci vel in ſubiecto proprio, vel alieno, etiam non viuente, vel extra quoduis ſubiectum; ſed in ſimilibus caſibus actus iſte vitaliter nõ exexceret vllum Viuens, nec à Vita denominaret ſubiectum non Viuens.

CXL. Potentiæ Animæ Vegetatiuæ Principales tres numeran-

merantur: Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua. Diſtinguuntur Specie tam inter ſe, quàm à Quatuor Miniſtrantibus, Attractiuâ, Retentiuâ, Digeſtiuâ, Expulſiuâ, à ſe inuicem non diſtinctis, niſi inadæquatè. Sola Nutritiua formaliter eſt Potentia Vitalis. Actus ſunt Nutritio, Augmentatio, Generatio. Nutritio tendit ad formam Viuenti ſimilem producendam in alimento, interueniente vnione materiæ alimenti & aliti. Generatio pro hîc eſt Origo Viuentis à Viuente coniuncto, ſecundùm ſimilitudinem eiuſdem Naturæ.

CXLI. Augmentatio eſt Motus, quo Viuens ſecundùm ſe totum & omnes ſuas partes extenditur ad eam Quantitatem, quæ neceſſaria illi eſt, & ex Natura debita, ad operationes neceſſarias exercendas. Formaliter conſiſtit in vnitione quantitatum, connotando tamen aliti maioritatem; realiter non differt à Nutritione. Poteſt eſſe Succeſſiua & Continua; poteſt etiam eſſe Inſtantanea & Diſcreta. Viuentia ſecus ac Inanimata habent certos terminos Magnitudinis & Paruitatis, eóſque probabiliùs Intrinſecos tam in via Generationis quàm Corruptionis.

CXLII. Potentiæ Animæ Senſitiuæ aliæ ſunt Externæ; aliæ Internæ. Senſus externus Senſibile aliud habet Per ſe, aliud per Accidens; Jllud in proprium & Commune ſubdiuiditur. Communia numerantur Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, Quies. Sola duo prima ſui propriam habent Speciem, ſed à Specie ſenſibilis Proprij tantùm ratione diſtinctam. Nec ſupernaturaliter poteſt ſentiri ſenſibile Commune abſque omni Proprio, aut Proprium abſque omni communi; aut Senſibile in indiuiſibili exiſtens, aut per Potentiam indiuiſibiliter exiſtentem.

CXLIII. Non poteſt Senſus etiam ſupernaturaliter ferri in ſeipſum, aut ſuam Senſationem, aut Subſtantiam, aut Vniuer-

niuerſalia. Poteſt falli tā circa ſenſibile Cōmune, quàm circa Propriū; item tam circa Propriū in genere, quā in ſpecie; ſed faciliùs circa Cōmune quàm Proprium; item circa Specificū magis, quā circa Genericū; circa hoc tamen non fit abſoluta deceptio. Sēſibile lædit Senſum ratione Qualitatum Corruptiuarum, quas Organo, ſiue Per ſe ſiue Per accidens, inducit.

CXLIV. Senſus Externi perfectione iſto ſeſe ordine per defectum conſequuntur: Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus, Tactus. Non omnes omnibus Animalibus conueniunt. Plures ſupernaturaliter ſunt poſſibiles. Tactûs Organum ſunt Nerui & Mēbranæ; Obiectum ſunt primæ Qualitates & quædam ex ſecundis. Guſtûs ſenſatio eſt in Neruis Guſtatorijs linguæ & palati; Obiectum eſt Sapor. Odoratio fit in Carunculis Mamillaribus; tendit in Odorem. Auditio in Tympano, auris Membranā: Viſio in Retina oculi cuticula, per Intusſuſceptionē emergit; illa Sonum, Iſta Colorem latè ſumptum percipit.

CXLIV. Senſus Internus Animalis realiter & formaliter eſt vna Potentia, officio tamen multiplex, vnde & variam denominationem habet, nempe Phantaſiæ, Æſtimatiuæ, Memoriæ &c. Organum illius eſt Cerebrum; Obiectum ſunt Senſationes Externæ, vnà ac earum obiecta, non item Internæ ac Propriæ. Somnia potiſſimùm fiunt operâ Phantaſiæ in ſomno operantis; quandoque tamen etiam Intellectus agit.

CXLVI. Internum iſtum Senſum ſequitur Appetitus Senſitiuus, qui eſt Potentia Materialis & Organica, tam à ſenſibus internis, quàm externis formaliter diſtincta, re vnica, officio multiplex, reſidens in Corde, mouens præter Potentiam Locomotiuam, in Muſculis reſidentem, etiam alias Potentias ad ſuarummet actionum exercitium, ídque per Sympathiam, inclinans in Bonum Senſu cognitum, & refugiens Malum.

Digitized by Google

CXLVII. Animæ Rationalis Potētiæ ſunt Intellectus & Voluntas. Intellectus eſt Potētia à Voluntate & Memoria nō niſi formaliter diſtincta. Eſt Entitas Spiritualis & Incorruptibilis, in ſe vna & indiuiſa, formaliter tamen multiplex: pro Obiecto ſuo Terminatiuo habet Ens latè ſumptum: pro Obiecto verò Motiuo in hac vita habet ſolū Obiectū Senſibile, Diuiditur in Intellectum Agētem & Patientem ſeu Poſſibilē, Iſte à ſpeciebus receptis, Ille ab ijſdem productis denominatur.

CXLIIX. Jntellectus in intelligendo iam neceſſariò dependet à Phantaſmate, etiam in extaſi naturali: non poteſt omnem omnino actum ſuſpendere: & licèt poſſit plura vt plura cognoſcere, id tamen non poteſt vnico actu. Primum omnium quod Intellectus in hac vita cognoſcit Cognitione Originali, Actuali, Confuſâ, eſt Singulare Accidentis & quidem gradûs Vniuerſalioris, ſi adſit impedimentum: ſi hoc deſit, tum primò ſic cognoſcitur Accidens gradûs Inferioris.

CXLIX. Voluntas eſt Appetitus Rationem conſequens, & tendens in Bonum & Malum Intellectu cognitum. Non poteſt naturaliter proſequi Malum quà tale, aut Bonum fugere. Eſt Potentia minùs nobilis, quàm Intellectus; ab eiúſq; actu neceſſitate naturali dependet in operando, vt à proponente Obiectum, & non vt à Principio Actiuo, multo minùs Voluntate tantùm paſſiuè ſe ad ſuos actus habente. Cognitio intellectiua, Voluntatem mouens ex parte Obiecti, neceſſariò quidem aliquam Complexionem inuoluit, non tamen ita ex parte ſuæ Entitatis.

CL. Idem Appetitus Rationalis eſt Potentia formaliter libera, radicem tamē ſuæ libertatis habet in Intellectu. Liberum Arbitrium eſt Potentia à Voluntate realiter indiſtincta, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere, non tantùm in ſenſu Diuiſo ſed etiam Compoſito. Ha-

Digitized by Google

to. Habet Libertatem tam quoad Actûs ſpecificationem, quàm quoad Exercitium, item tam à vinculo Coactionis, quàm Neceſſitatis.

CLI. Actus à Voluntate circa Finem ſeu Bonum eliciti, ſunt Simplex Complacentia, Intentio, & Fruitio; circa Media, ſunt Electio, Conſenſus, Vſus. Electio non neceſſariò diſtinguitur ab Intentione & Vſu. Imperium formaliter eſt actus Intellectûs Practici, præſupponēs tamen actum Voluntatis. Stante Imperio Voluntas cogitur ad operandum, non tamen cogitur ſic ab alio Iudicio practico; cogitur tamen ad Electionem Medij, ſi illud ſit vnicum, & Voluntas efficaciter Finem obtinere velit. Poteſt ex duobus Bonis æqualibus vtrumuis, ex inæqualibus etiam minus Bonum, taliter cognitum eligere.

---

§ 5.

PATIBILIS QVALITAS.

CLII. HVc faciunt Species Senſibiles & Intelligibiles, item Obiecta Senſuum, & ex noſtra ſententia etiam Impulſus. Dantur Species Impreſſæ probabiliter in omnibus Senſibus Externis; ſunt diuerſæ naturæ ab Obiecto, eiúſque Imagines non tantùm Virtuales, ſed etiam Formales; recipiuntur ſubiectiuè tam in Medio, quàm in Organo; ſunt diuiſibiles tam quoad intenſionem quàm quoad extenſionem, ídq; tam ratione Subiecti, quàm Obiecti.

CLIII. Obiectum ita in Subiectum radiat ſuas Species vt tota Species Obiecti ſit in toto Subiecto, & ſimul etiam in quauis parte, etiam indiuiſibi quoad rem, quoad repræſentationem verò ſaltem in parte phyſicè minima. Homoge-

Digitized by Google

neæ Homogeneis vniuntur, abſque eo vt faciant intenſionem. Vna pars Obiecti non concurrit ad productionem Speciei alterius partis, ſed ſingulæ Speciem ſui ſolummodò repræſentantem ita producunt, vt totum Subiectum non interruptâ continuitate pingant; pictura tamen ſeu diuerſitas colorum, ſi quæ eſt, non appareat quouis loco Subiecti, ſed eo, qui ad oculum conformiùs ſeſe habet, ipſis coloribus partim ſeſe tegentibus, partim ſeſe prodentibus, vti ſquamæ piſcium partem latent, partem apparent.

CLIV. Producuntur Species Senſuum Externorum effectiuè tam à Forma ſubſtantiali Subiecti, quàm ab eiuſdem natiuo colore, natiuíſque qualitatibus, ſi iſta coniungantur; ídque inſtrumentaliter, ſi obiectum non ſentiat, concurrentibus ordine partibus Specierum prioribus ad producendas poſteriores. Species pendent in Conſeruari ab Obiecto; ad ipſam Senſationem ſeu Speciem Expreſſam effectiuè non concurrunt.

CLV. Suæ etiam Senſui Interno Species neceſſariæ ſunt; producuntur ab ipſomet Senſu Interno, & Subiecto priùs vniuntur, quàm is Obiecti cognitionem exprimat. Determinatur iſta Potentia ad Specierum productionem à ſenſatione Externa non effectiuè, ſed diſpoſitiuè, ſiue obiectiuè. Species hæ ſi repræſentant Obiecta Senſuum Externorum, ſunt materiales, & ſubiectantur in omnibus Cerebri partibus; ſi verò repræſentant ipſam Externam ſenſationem, ſunt ſpirituales, ſubiectantúrque in Anima, nec poſſunt repræſentare Senſationem illam ſine ſuo Obiecto, licèt Obiectum à ſuâ ſpecie poſſit repræſentari ſine Actu.

CLVI. Jntellectus quoque ſuis Speciebus inſtructus eſt, eæ Intelligibiles vocantur. Sunt Qualitates Spirituales, Jncorruptibiles, extenſiuè item ac obiectiuè Jndiuiſibiles; nec

dantur

Digitized by Google

dantur propriæ ſpecies obiectorum Spiritualium, aut Vniuerſalium, aut Subſtantiarum, aut non Entium, aut omnium etiam Accidentium; faciunt tamen ſpecies aliarum rerum etiam ad Horum cognitionem; nec tamen opus eſt ſemper fictionem aliquam intercedere, etiam in concipiendo Ente Rationis, quantumuis illud non niſi per Conceptum Falſum fieri poſſit.

CLVII. Quod iam ad Obiecta Senſuum Externorum ſpectat, de illis ita enunciamus. Calor eſt id, quod congregat homogenea & diſgregat heterogenea. Frigus eſt id; quod congregat homogenea & heterogenea ſimul. Humidum eſt, quod non eſt terminabile termino proprio, facilè tamen alieno. Siccum eſt, quod eſt difficulter terminabile termino alieno, facilè proprio. Sapor eſt Qualitas ſecunda, orta ex primis, prædominante humido aqueo, à calore ſufficienter cum ſicco terreſtri digeſto. Odor eſt ſimilis Qualitas, prædominante ſicco & calido actuali vel virtuali.

CLIIX. Sonus eſt Qualitas ſenſibilis ex reſilientia corporis fluxi, propter aliorum corporum leuigatorum ac ſolidorum percuſſionem factam proueniens. Cauſa Efficiens Soni eſt Impetus. Subiectum Soni eſt tam corpus eliſum quàm elidentia; Medium tam aër, quàm aqua, & alia corpora. Echo eſt Soni reſonantia, per reflexionem maximè Specierum ex obſtaculo facta. Jn minori diſtantia pauciores ſyllabas, in maiori plures reddit, & eandem quandoque vocem etiam pluries.

CLIX. Color latè ſumptus includit tam veros, quàm apparentes; item Species Intentionales, & Lumen, etiam non coloratum. Color ſtrictè eſt Qualitas ſecunda, orta ex primis inter ſe commixtis. Cùm medij Colores naturaliter producuntur, æquè ſunt ſimplex qualitas ac extremi. Lumen

probabiliter tãtùm requiritur ad viſionẽ colorũ ex parte medij, nimirũ ab Obiecto vſq; ad proprium viſionis Subiectum; luminoſum tamen ipſum poteſt videri, licèt in medio non ſit Lumen.

CLX. Jmpetus huc pertinet, ſiue præcisè Motum, ſiue Proiecta, ſiue Grauitationem Leuitationémque concernat. Eius prima conſideratio intelligetur ex Sect. 9. Impetus à Grauitate & Leuitate primaria Specie diſtinguitur, non verò à ſecundaria, ſeu Grauitatione & Leuitatione. Jn ſe quoad res materiales eſt vnius Speciei atomæ, formaliter tamen variæ eſt denominationis pro varijs connotatis, ſecundùm quæ etiam varias cauſas habet. Producitur in inſtanti & ſucceſſiuè; pendet à ſolo DEO in Conſeruari.

CLXI. Quæ reflexè mouentur, vt plurimùm mouentur effectiuè ab Impetu, primò in Mobili producto, & directiuè ab Obſtaculo, quamuis poſſint etiam ab hoc ſuo modo effectiuè moueri. Mobile in puncto Reflexionis per ſe non quieſcit ex vi reflexionis, loquendo de quiete Priuatiuâ, de Negatiuâ enim dubium eſſe non poteſt. Proiecta non neceſſariò mouentur per Lineam Directionis, ſicut alioqui ſolent grauia & leuia etiam animata.

§. 6.

FIGVRA.

CLXII. Figura, quæ ab Arte, tanquam principio non phyſicè, ſed directiuè effectiuo, procedit, tam à ſuo Subiecto, quàm ab Vbi circumſcriptiuo non plus quam formaliter diſtinguitur; & nil aliud eſt, quàm ipſa Quantitas vel Materia, vel quiduis aliud corporale & extẽſum, in quantùm

Digitized by Google

tùm conſideratur ſecundùm partes in ordine ad ſe ſpectatas, ſeu prout à ſe inuicem diſtant, ac certo modo terminatæ reliquarum partium ablationem connotant.

SECTIO VII.

RELATIO.

CLXIII. PRædicamentalis quidem huic loco propria eſt, ſed ex affinitate etiam Tranſcendentalis pertractanda. Relatio communiſſimè ſumpta nil aliud eſt, quàm ordo & habitudo vnius ad alterum, quæ reipſa inter Duo enaſcitur; vel per Rationem, vt eſſet inter duo non-Entia, vel inter duo Entia indiſtincta, vel inter Ens & non Ens, vel inter Entia diſtincta, Relationis incapacia. Hæc vocantur Relata ſecundum Dici, & omnia comprehenduntur iſtâ Definitione: Ad aliquid ſunt, quæ illud ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.

OLXIV. Dantur Relationes Tranſcendentales, qui ſint veri & formales Reſpectus, quandoque ad intrinſecam rationem Abſolutorum Entium pertinentes, eorúmq; Differentiæ eſſentiales, ſpecténtq; vt plurimùm non ad Prædicamentum Relationis, ſed ad Prædicamentum illius Totius, quod in ſua propria Specie conſtituunt. A Relationibus Prædicamentalibus præcipuè in hoc diſtiguuntur, quòd nimirum præter id quod eſt Reſpicere, adhuc aliud munus, v. g. cauſandi, repræſentandi, vniendi &c: circa Terminum exerceant.

CLXV. Relata Prædicamentalia ab Ariſtotele ſic rectè definiuntur: Ad aliquid ſunt, quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliud ſe habere. Hæc Relatio requirit Terminum realiter exiſten-

Digitized by Google

exiſtentem; præſupponit aliquod Fundamentum; eſt Subiecto ſuo ſemper accidentalis; nullam patitur Intenſionem. Eius ſummum Genus eſt vnicum, nempe Relatio in communi, quæ adæquatè conſtituitur ex aliquo Intrinſeco & Extrinſeco, nempe ex Reſpicere & Reſpici in communi, éſtq; hæc Relatio ſecundùm Eſſe.

CLXVI. Relatio hæc non diſtinguitur realiter à ſuo Subiecto ſecundùm illud Eſſe ſuum inadæquatum, quod eſt Subiecto intrinſecum; refertur tam ad Abſolutum, quàm ad Reſpectiuum quoad rem, quoad rationem verò Correlatio non eſt ratio terminandi Relationem. Multiplicatur ad multiplicationem Terminorum; ſpecificatur extrinſecè à Termino formaliter ſumpto, poteſt tamen aliquo etiam modo eius ſpecificatio ſumi à Subiecto.

CLXVII. Multùm in Relationis Fundamento poſitum eſt, ſiue in eo, quod eſt Radix Relationis. Id à ſubiecto aliquando diſtinctum eſt, aliquando non; potéſtque ſine Fundamento quandoque Relatio exiſtere, non verò ſine Subiecto. Tria ſunt genera Fundamentorum. Primũ eſt Vnitas & Numerus: in hoc fundantur Relationes Identitatis, Æqualitatis, Similitudinis; item Diuerſitatis, Inæqualitatis, Diſſimilitudinis; omnes hæ Relationes ſunt Reales.

CLXIIX. Alterum Genus Fundamentorum eſt Actio & Paſſio, intelligendo per has voces etiam Potentiam Agendi & Patiendi, imò cuiuſcunque alterius cauſæ Phyſicæ Cauſalitatem & Virtutem. Nam ipſa Actio, ſiue præſens ea ſit ſiue præterita, non eſt nuda ratio Fundandi, ſi per hoc intelligatur tantùm id, quod eſt Conditio ad Relationem: ac proinde duplex Relatio in Cauſa actualiter cauſante interuenit; vna Potentiæ actu agentis ad actu Paſſum, altera Potentiæ actiuæ ad Paſſiuam præcisè ſub ſuis potentialitatibus.

CLXIX. Ter-

Digitized by Google

CLXIX. Tertium Fundamenti Genus eſt Menſurabile & Menſura; ſic fundantur Relationes Potentiæ ad Actum, & Actûs ad Obiecta &c. Etiam iſtæ Relationes ſunt Reales, non tantùm ex parte Potentiæ, ſed etiam ex parte Obiecti, adeóque ſunt Mutuæ, ſi quidem vtrumque extremorum realiter exiſtat. Jta etiam realiter refertur Appetibile ad Appetitum, & Amabile ad Amorem, & ſic de reliquis hoc Fundamento fundatis.

SECTIO. VIII.

ACTIO, PASSIO.

CLXX. HVc etiam facit Motus ab Actione Paſſionéq; re-ipſa non diſtinctus. Actio Eductiua reſpectu cuiuſcunque Termini eſt Entitas accidentalis, tam ab Agente, quàm à Paſſo & Termino modaliter diſtincta, ab ipſa Paſſione nonniſi formaliter. Jnhæret ipſi Paſſo, & Agens extrinſecè modificat. Non poteſt eſſe ſine termino, ab eóque formaliter ſumpto habet ſuam vnitatem tam formalem quàm numericam, ſaltem inadæquatè; adæquatè ſimul ab Agente & Paſſo.

CLXXI. Etiam Actio Emanatiua & Creatiua huc pertinet. Diſtinguitur Emanatio ab Actione phyſica, quòd iſta habeat terminum ad completum rei Eſſe non pertinentem, illi verò ſemper reſpondeat terminus rem in ſuo ſtatu connaturali conſtituens. Creatio ſtrictè ſumpta definitur, Effectio ſeu productio rei ex Nihilo, ſeu nullo præſuppoſito Subiecto. Eſt in entitate Modus Subſtãtialis, eſſentialiter ab omni cauſa materiali independens, omnémque Inhæſionem ac Adhæſionem accidentis excludens.

Digitized by Google

CLXXII. Motus quandoque pro quauis rei Eductione; quandoque pro quauis Mutatione; quandoque pro Mutatione certis conditionibus coniuncta accipitur: & hoc vltimo modo ſumptus definitur: Actus Entis in potentiâ quatenus in potentiâ, quæ definitio conuenit ſolis Motibus ſucceſſiuis, non verò inſtantaneis. Conditiones ad Motum ità ſumptum ſunt tres: Prima eſt, vt res, ad quam eſt Motus, verè producatur; Secunda eſt, vt maneat idem Subiectũ demonſtrabile; Tertia eſt, vt ſit certa Latitudo ſeu Contrarietas inter vtrumque motûs terminum.

CLXXIII. Motus ſub ſua ratione formali per ſe in nullo Prædicamento ponitur, ſed ſpectat ad Prædicamentum ſui Termini, quod eſt ſolùm triplex: Qualitatis, Quantitatis, & Vbi. Specificatur ſolùm à Subiecto & Termino, ſed iſto tam à Quo, quàm etiam ad Quem. Diſcontinuatur ad diſcontinuationem Subiecti, vel per non ſucceſſionem aut deſtructionem partium. Naturaliter nil poteſt moueri duobus Motibus localibus contrarijs.

SECTIO NONA.

VBI, SITVS.

CLXXIV. MVltùm iſta conueniunt, vt patebit. Locus Extrinſecus eſt Superficies prima & immobilis, in corpore quod locatum continet. Locus Intrinſecus eſt ipſa præſentia rei ad Locum, ſeu illius ab hoc indiſtantia; ab ipſo locato in quiete non niſi formaliter diſtincta, & vocatur Vbi Intrinſecum. Jmmobilitas Loci Extrinſeci deſumitur à diſtantia à punctis fixis ſpatij Imaginarij; ipſa hæc puncta firmitatem ſuam habent, vel ſuo modo à ſeipſis, vel etiam

Digitized by Google

etiam ex eo, quòd certæ magnitudinis quantitas inter illa ſit interceptibilis.

CLXXV. Quamdiu ſuperficies aliqua non mutat diſtantiam ad puncta fixa, tum cenſeri debet formaliter idem Locus, quantumuis ſuperficies alia & alia locatum circumdet. Et licèt ſic Locus realiter mutetur, non tamen ſequitur Locatum eſſe Loco motum. De facto omne Corpus eſt in Loco extrinſeco, etiam cœlum ſecundùm ſuperficiem conuexam.

CLXXVI. Vbi in motu diſtinguitur realiter à ſuo Subiecto, éſtque ipſe Impetus in mobili productus, ab Impulſu ſiue Impetu Proiectorum non niſi formaliter diſtinctus; & hæc ipſa eius productio eſt formaliter Motus Localis, cuius terminus eſt hic Impetus, vnà cum Spatio ſiue reali ſiue imaginario: atq; adeò Motus Localis poteſt quoad eſſentiam in inſtanti perfici; quoad integritatem verò & alia connotata nonniſi in tempore; cùm ſic neceſſariò reſpiciat Impetum, prout iſte formaliter eſt applicatiuus rei ad ſpatium re maius.

CLXXVII. Situs eſt certa partium corporis diſpoſitio, reſultans ex locali earundem coordinatione, quæ non à Spatio Imaginario deſumenda eſt, ſed à partibus principalibus Mundi, non quidem prout hæ fundant aliam & aliam à ſe diſtantiam, ſed prout dicunt habitudinem ad partes Corporis Situati, hoc vel illo modo naturaliter terminandas; vt adeò Homo etiam immotus diuerſum omnino Situm habere ſic poſſet, ſi terra illius capiti imponeretur.

CLXXIIX. Poteſt ſupernaturaliter vnum Corpus ſimul eſſe in pluribꝰ Locis totalibus & adæquatis, ita vt vel in vtroq; ſit Circumſcriptiuè, vel in vtroq; Definitiuè, vel tantùm in altero alterutro modo; poteſt etiam in vno Loco ſæpius exiſtere. Tali Replicatione ſuppoſitâ neque hoc ipſo

augerentur vires Corporis naturales, neque ea accidentia vtrobique eſſent ipſi rei communia, quæ dependent à Loco; imò etiam alia, quæ vel naturaliter vel ſupernaturaliter eidem rei in eodem Loco conuenire nequeunt, idipſum etiam non poſſunt in pluribus Locis.

CLXXIX. Locus qui caret corpore, Vacuum dicitur; Naturaliter non datur, poteſt tamen dari ſupernaturaliter. In Vacuo poſſet fieri Motus tam Alteratiuus quàm Localis, etiam Animaſticus, etiam Progreſſiuus. Grauium & Leuium ex ſe nullus fieret Motus, quòd ſi tamen ab extrinſeco aliquo principio contingeret, non eſſet Inſtantaneus. Motus qui fit metu Vacui, ſimpliciter Violentus, aliquo tamen modo Naturalis dici poteſt: prouenit ab extrinſeco illo, à quo trahitur primum illud & proximum Corpus, quod reliqua, metu Vacui, conſequuntur.

SECTIO DECIMA.

QVANDO, HABERE.

CLXXX. DEſcribitur Tempus Extrinſecum: Numerus Motûs ſecundùm prius & poſterius. Jntelligitur præcipuè Tempus Vniuerſale, ſeu Duratio Motûs cœleſtis tanquam notiſſimum quid, & ad menſurandos reliquos motus in primis habile. Tempus à Motu ſolùm diſtinguitur formaliter, ſicut etiam Velocitas & Tarditas. Comparatum in ordine ad ſe Totũ, non verò in ordine ad aliud, eſt Pręſens; ídque non tantùm ſecundùm Inſtans, ſed etiam ſecundùm Partes, licèt non permanenter, attamen fluenter.

CLXXXI. Tempus Intrinſecum ſeu Duratio à re durãte itidem nonniſi formaliter diſtinguitur, & realiter eſt ipſa Coëxi-

Coëxiſtentia rei cum Tēpore Imaginario, formaliter tamen eſt quid partim Intrinſecum in Subiecto durante, partim Extrinſecum in Tempore Durationē terminante, & ſecundùm id, quod dicit intrinſecè, formaliter eſt continuata rei exiſtentia, ſeu Eſſe actuale inceptioni ac deſitioni interiectum, ac proinde rebus Inſtantaneis non conuenit.

CLXXXII. Duplicem modum Incipiendi & Deſinendi rebus eſt aſſignare, nempe Intrinſecum & Extrinſecum, ſiue in inſtanti & in tempore. Jntrinſeca Inceptio eſt per primum Eſſe, Deſitio per vltimum Eſſe. Extrinſeca Inceptio eſt per vltimum non-Eſſe, Deſitio per primum non-Eſſe. Jnceptionem & Deſitionē intrinſecā habent, quæcunque tantùm in vnico momēto exiſtunt, vt ſunt indiuiſibilia Motûs & Tēporis, & ipſe etiam Motus ac Tempus, ſi accipiantur vt Tanta, alioqui abſolutè omnia ſucceſſiua contrarium habent.

CLXXXIII. Jnſtans temporis Jntrinſecæ Inceptioni cōiunctum, ſi ſecundùm entitatem ſumatur, eſt ipſa pars Temporis, vt ſic; formaliter eſt eadem, prout negatiuè coëxiſtit alicui rei, id eſt ita, vt res illa nec extra Tempus ſit, nec etiam Tempori cōmenſuretur; vt adeò Tempus non exerceat rationem Inſtantis, niſi comparatè ad aliud, cui vel vtraque pars tēporis, ſi ſit Inſtans Copulās; vel ſecutura aut dilapſa, ſi ſit Inchoans, vel Terminans, negatiuè coëxiſtat.

CLXXXIV. Habere ſeu Habitus hoc loco definitur: Corporum & eorum, quæ circa corpus ſunt, Adiacentia, ſecundùm quam hoc quidem habere, illa verò haberi dicuntur. Prædicamentum iſtud nec à Veſtis, nec à veſtiti ſubſtantia conſtituitur, ſed à media inter vtrumque Formalitate aliqua, quæ nimirum eſt ipſa veſtis Habitio eiúſque Adiacentia, non verò Modus in alterutro extremorum receptus. Etiam animalibus conuenit huius Prædicamenti ratio.

Digitized by Google

Succincta hæc Philoſophiæ Peripateticæ Vniuerſitas eſt ſana in Fide, docta in Sententiis, clara in methodo; ſicq́; trinum perfectum, typíſq; dignum.

OSWALDVS COSCANVS
Soc. IESV SS. Theol. Prof. & pro tempore Decanus.

Triennalis iſte, pereruditus, & eximius labor, ex cimelijs illuſtribus depromptus, & Prædicamentorum denario circumſcriptus; tot laudum præcones meretur, quot res in Prædicamentis ponuntur.

Jta cenſeo

PETRVS HILDEBRANDT
Societ. IESV SS. Linguæ & Matheſeos Prof. Ord. & pro tempore Decanus.

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO, ILLVSTRI, AC GENEROSO DOMINO GVOLFGANGO SIGISMVNDO L. BARONI DE LEVBELFING, &c. CATHEDRALIS RATISBON. ECCLESIÆ CANONICO, &c.

Theſium harum Propugnatori.

QVi Brutos, Decióſque, Caſsióſque,
Et centum potuit videre reges,
Et centum quóque Cæſares; triumphos
Hic regum quoq;, Cæſarúmq; centum
Et currus ſimul eminentiores
Et lauro redimïta, gemmuliſq;
Vidit tempora, torquibúſq; colla
Et magnis radiare margaritis.
Atq; vt clarior iret in triumphos,
Et lætos populiq; militiſq;
Victor cerneret vnicus cachinnos,
Hinc victo comitatus ibat hoſte
Illinc diuite plurimâque prædâ
Romanum veniebat in Senatum.
Sic LEVBLFINGIACVM nitere SOLEM

Et

Digitized by Google

Et celsâ magis eminere ſellâ,
Et ſerto reor, Indicáq; gemmâ
Frontem accendere poſſe, gemmuliſq;
Pectus cingere, lacteúmq; collum.
Nam qui Stelligeris mouere Terris
Audet prælia, grandibúſq; Mundi
Et vaſti Maris, Aërisq; pugnat
Audax orbibus, Igneisq; ſphæris:
Hunc Brutos, Decióſq;, Caſsióſq;
Et centum ſuperare credo reges.
Hinc ne talibus abſit Vniuerſi
Poſthac Orbibus, Annuliſq; Gemma,
TE Mundi volo nominare Gemmam.

Cognationis & amoris causâ

Accinuit

IOANNES MAXIMILIANVS L. Baro de Preyſing, in Altenpreyſing, HochenAſchau, &c. REVERENDISSIMO, & SERENISSIMO Electori Colonienſi FERDINANDO Duci Vtriúſque Bauariæ, &c. à poculis.

F *Eidem*

Digitized by Google

Eidem.

ADMODVM REVERENDO ET ILLVSTRI DOMINO DEFENDENTI.

Pondere quid Terras, Cælos, libramus & Aſtra:
Cùm paruis ſoleat rebus ineſſe lepor?
Voluit in Heſperidum dum multa volumina pratis,
Heliadum lacrimis vipera merſa fuit.
Dum Phaëtonteis currit formica ſub vmbris,
Succinus implicuit paruula membra liquor.
Purpureámq; tulit quam Pyrrhus in Indice gemmam,
Vna nouem clauſit lucida gemma Deas.
Quin & Mæonides quæ luſit prælia: iuſſit
Sub nuce non magnâ docta latere manus.
Vſq; adeò charum eſt rarâ ſe condere tumbâ,
Aut etiam molli poſſe cubare thoro.
Nos mores, Wolfgange, *tuos veneramur & annos,*
In quo ceu Gemma plurima Muſa ſedet.
In quem ſe effundit totis Sapientia riuis,
Intulit & cupidis dulcia mella labris.
Hinc ne digna tuis deſit virtutibus vrna;
Vtpote quas Tellus, & ſimul aſtra probant.
Cingere te volumus radiantibus vndiq; flammis,
Et Cælo dignum claudere Sole caput.
Nam ſatis illuſtri qui ſidere claret Auorum:
Non niſi Phœbeo clariùs igne micat.

Chariſſimo ſuo Domino Cognato

gratulabundus applauſit

IOANNES IACOBVS VVEICHS
L. Baro in Falckenſels &c.

Digitized by Google

AD ADMODVM REVEREND.
ET GENEROS. DOMINVM
COGNATVM SVVM.

WOLFGANGE *clari Gloria Stemmatis*
Excelſa Virtus, Nobilis Indoles,
Illuſtrium TV *Fortiúmque*
Magnanimos imitaris auſus.
Montem fragoſum qui Dialectica,
Spináſque calcat fortiter inſitas,
Et phyſicos voluit Mæandros,
Hic Pelagus ſcopulóſque vicit.
Typhin triumphat, qui ſuper æquora
Conſcendit æthram; nubibus inſidens
Obſeruat Euros litigantes
Et fremitum reboantis Auſtri.
WOLFGANGVS *horum eſt conſcius omnium,*
Cùm gnarus horum ſit Sophus omnium,
Et maximè quando Baroni
Dat animas generoſe Sanguis.
Doctrina nunquam Stemmata contegit
Sed illa veſtit ſyrmate nobili;
Vnde & SIGISMVNDI petebat
Vlteriùs genuina virtus.
Ventis relictis nubila permeat;
Hinc excubantis mœnia Cynthiæ,
Et milites diſcit Planetas
Cæruleo vigilare Campo.
Titanis illinc alta Palatia,
Lucíſque viſit prima cubilia,
Vbi coruſcantis videntur
Innumeri laquearis ignes.

Digitized by Google

Hæc alta cùm ſint, Mens tamen altior
Obſcura tranſit lumina ſyderum,
Eſt quippe Phœbi ſplendor omnis
Empyreo tenuis vmbra Soli.
Poſt námque Cælos aſtráque cognita,
Iuuabat ipſos Numinis Angelos
Præpetes, ipſúmque Numen
Et niueas didiciſſe Mentes.
WOLFGANGVS *ergo his gnarus in omnibus;*
Cælum tamen, quod nec graue nec leue,
Hic Ponderis dicit eſſe magni;
Num melior fuit vllus error?

Synceræ amicitiæ & amoris ergò

Ioannes Franciſcus
ET
Ioannes Bernardus
L L. Barones à Preyſing, in
AltenPreyſing, & Mos, &c.

AD EVNDEM ADMODVM REVER. ET GENEROS. DOMINVM DEFENDENTEM.

QVi tempeſtatum cauſas, & in æquora ſpectat
Totos flare vtres, altior ille Salo eſt:
Qui mundi numerat formas, & ſemina rerum,
Naſcendíque vices, altior ille ſolo:
Qui videt æthereos orbes, & ſidera, mentes
Qui ſubit Angelicas, altior ille polo.
Quid, niſi de ſuperis credatur mentibus vna?
Naturæ arcanas quæ penetrauit opes?
Et licet alta Choro Dominantem *ſtemmata ſignent,*
Virtutem *veram cæterà vita probat.*

Amicitiæ & cognationis cauſâ

JOANNES SEBASTIANVS
Nothafft.

ADMODVM REVERENDO, ILLV-
STRI, AC GENEROSO DOMINO
DEFENDENTI &c.

IPSVM EIVS NOMEN.

WOLFGANGVS SIGISMVNDVS

In Anagrammatiſmum.

VVLGVS FVGIS, DIGNVM SONAS.

A*Rcadium pepulêre pecus* pater obſitus annis,
Gnatúſq; iuuenis *nuper vnà ad nundinas.*
Obuius ex Vulgo *nonnemo hos increpat:* eccur
Vacua animalis terga neuter *occupet?*
Ire adoleſcentem greſſu titubante; *viarum*
Aſpera tenellis *eſſe noxia* artubus.
Audit iuſſa parens; peditem ſublimat, & ipſe
Stipat fidelis *latus equitis* pediſſequus.
Occurrunt de plebe *alÿ*, Pyliámq; ſenectam
Potiùs vehi aiunt, quàm bonos *gnati* pedes.
Ex equite ergo pedes *fit* filius, *útq; fuêre*
Juſſi, pater equitis *capit honeſtum locum.*
Sed nec vterq; diu vulgo *placuêre*; tenellos
Pedes *vehi* alius *vult: patris* duros *gradi.*
Quid pater hac inter? clamant de patre *vehendo*
Alÿ, & quoq; alij filium *vehi volunt.*
Parti *vt* vtríq; *ſatis fieret*, gnatúſq; parénſq;
Simul *ſolebant baiulari à beſtiâ.*
Improbat id rurſus Vulgus; *venalem Animantem*
Non eſſe tanto *ſtrangulandam* pondere.

Digitized by Google

His quoq; dat monitis *pater aurem; colligat ergo*
Laſſus *&* anhelus *vt parùm* ſe quadrupes.
Reſti extrema *ligant pecudis (res digna cachinno)*
Pendulum & aſſellum perticâ *porrò ferunt.*
Omne *tuliſſe quidem ſe* punctum *hîc cenſuit; atqui*
Nunquam *hactenus placuit pater* Obuiantibus
Quid miſer vlteriùs? Vulgi *ne ſæpiùs iret*
Jn iurgia, *brutum merſit amnis vortice.*
Vndantiq; genas *lacrumâ* (*ſed ſerò*) *videbat,*
Plebem *quid eſſet* velle ſemper aſſequi
Heu Superi! *exclamat, dira Hydra eſt* Vulgus, *& anceps*
Ancipite nutu, quò flat Eurus *ambulat.*
Ipſa venenando *non tàm nocet* aëra *Lerna,*
Quàm conſilij inops *quando* vulgus *conſulit.*
O Tutum *huic, quicunq;* aures *non porrigis* (aurem
Eheu dediſſe *quàm mihi nunc noxium!*)
Jrfima fæx hominum eſt. ô terq; quaterq; beatum
Quem ſeparat ab hac inclytum gentis decus.
Quiq; *augendo genus* Virtute *&* amore ſciendi
Philoſophus es, & VVLGVS FVGIS, DIGNVM SONAS

Ex debitâ obſeruantiâ, & amore erga
ſuum priſtinum D. Diſcipulum

IOANNES VVOLFGANGVS LAVTSCHLAHER à VVilmanſperg, Imperial. Eccleſ. vet. Cap. apud Ratisb. Canonicus, & Parochus in Rhoding &c. pergeneroſi D. Defendentis olim morum Studiorúmq; Moderator.

Digitized by Google

ALIVD
AD EVNDEM
ADMODVM REVER. ILLVST. GENEROS. DOMINVM DISPVTANTEM
ANAGRAMMA
SIGISMVNDVS
MVSIS DIGNVS.

Fortè ſub vmbroſæ nuper conſederat Alni
Tegmine, cum Muſis pulcher Apollo ſuis.
Verteret huc oculos cùm Delius Augur & illuc,
Mox ſimiles blando protulit ore modos.
Cernitis ô doctæ, mea Gaudia cernitis! inter
Vt caput Anglipolis ſydera celſa ferat?
Cernitis (& digito ſimul indice ſignat euntem)
Muſarum ſubeat Noſter vt ille domum?
Jlle SIGISMVNDVS, *quem mens innoxia comit,*
Quémque manus, greſſus, ora, loquela probant.
Jlle, ille, Ætherius cui blandùm arridet Olympus,
Cuique ſuas Cæli Regia ſpondet opes.
Dicite Pierides, quæ ſit ſententia vobis,
Dicite, numquid hic eſt qui mea ſerta gerat?
Nunquid Apollineâ teſtudine ludere poſſit,
Quem toga, quem Pallas, quémque Stagira probat?
Riſit, & in Phœbum fixo Polyhymnia vultu
Rectè, ait, eſt chordâ dignus Apollo tuâ.
Nam (meminiſtis adhuc) vix cunas liquerat ille
Vix teneris poterat frangere verba labris.

Cùm

Digitized by Google

Cùm genus & Proauos, noménque Illuſtre Parentum,
Credidit à Phœbo poſſe micare magis.
Hinc vbi Mæonios didicit tractare Cothurnos.
Fleréque Naſonem, vel Cicerona loqui.
Ocyus in Cœli motus penetrauit, & aſtra;
Nec non in medias Æquoris iuit aquas.
Inſuper & Terræ pondus librauit, & Ignis
In regione fuit toſta ſubinde manus.
Hunc quibus ergo modis, titulíſque beabis Apollo?
Et quibus incinges tempora eburna roſis?
Phœbus ad hæc; ibit noſtros. ait, inter Alumnos,
Et cinget lauro nexa corolla caput.
Quin & de mediâ ſuſpendam fronte Smaragdum
Vt ferat has paucas pendula gemma notas:
Ecce SIGISMVNDVS; *Phœbi hunc qui cernis Ocellum,*
Dic: certè eſt MVSIS DIGNVS. *& iſta ſatis.*

Oblatum ab Applauſore

M. SIGISMVNDO PAVHOVER,
SS. Theolog. Scholaſt. Candidato, nec
non I. V. Studioſo, moderno Generoſi
D. Diſputantis Præfecto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google